

AB
100
100



00 17617
LB: 00 17617

Sammelbd 4,


12 Alphab. 9 Bogen 2 $\frac{1}{2}$ ts.




Continentur hoc
volumine.

- I. D. Joh. Gerhardi Aphorismi, in XXIII. Cap. totius Theologiae nucleum continententes ad usum disp. Schol. accommodati et conscripti.
- II. Compendium Theologiae Scholasticae. Autore Joh. Henr. Posewitz.
- III. Joh. Henrichij de cultu Creaturarum et Imaginum
- IV. D. Joh. Musci ^{Dissertatio} diss. Theol. An ductu luminis naturae suae ad salutem aeternam pertinere possit.
- V. Quaestiones vexatae D. Balth. Meisneri.
- VI. Oratio de unico capite Ecclesiae Christo à Jacobo Martini Th. D.
- VII. Diss. Th. de Divinitate Christi contra Photinianos D. Henr. Mart. Eccardi.
- VIII. D. Petri Musci Ex. historico-Ecclesiastica de Novatianis.
- IX. De Haeresi Novatiana M. Steph. Kene Kelij.
- X. Diss. Th. solide confirmans Deitatem Filii Dei ex Joh. e. i. contra Arianos et Photinianos sub praesidio D. Winekelij magni p. Lic. & M. Chr. Dithmarij.
- XI. Arij Haeresis p. Lic. p. posuit M. Samuel Lange.
- XII. De Legitimo B. Lutheri ministerio Joh. Deutzmann
- XIII. Joh. Musci S. Th. D. tract. Th. de Conversione hominis peccatoris ad Deum. edit. 1.
- XIV. D. Joh. Latermanni, de Gratia et libero hominis arbitrio.
- XV. De aeterno Praedestinationis Secreto, an absolutum sit, nec ne, p. Lic. def. Joh. Muscus.
- XVI. De Praedestinatione sub praesidio D. Cellarij & Olgardm.
- XVII. De p. destinatione et ordinata omnes salvandi voluntate sub p. D. Joh. Besmij & p. Lic. Joh. Latermannus.

gip
—
m
voo
lar,
ig
et
el,
mi,
o.
m
ch.







ORATIO
DE UNICO CAPITE EC-
CLESIAE CHRISTO:

In promotione Doctoris Theologiae,

Dn. LAURENTII ANDREÆ Pastoris &
Superintendentis Zvvicaviensis,

*Habita Wittebergæ in templo arcis d. 16. Octobr. qui in Fastis
Julianis S. Gallo sacer est, anno Christi 1627.*

à

JACOB O MARTINI S S.
Theologiae Doctore & Professore publico.

Accesserunt reliqua, ad actum hunc pertinentia.



WITTEBERGÆ,
Excusa Typis JOHANNIS HAKEN.

ANNO MD CXXVII.



Generosissimo, Nobilissimo, Magnifico & Splendidiſſimo

**Dn. CASPARO Von Schönberg / in Püls-
niß & Gärick / &c. Sereniſſimi ac potentiſſimi Electoris
Saxoniae conſilij ſecretioris Directori, & Judici Appellati-
onum, quod eſt in Electorali aula Sax. Dreſdenſi præſidi con-
ſultiſſimo, alijsque plurimis honorum & dignitatis
titulis meritò inſigni.**

Nec Non


Reverendiſſimo, Nobiliſſimo, & Magnifico

**Dn. MATTHIÆ HOE ab Hoenegg,
in Gönſdorff hæreditario, SS. Theologiae Doctore cele-
berrimo, Comiti Palatino Caſareo eminentiſſimo, Sereniſſ.
Electori Saxoniae à concionibus primarijs, conſilij,
& confeſſionibus ſacris,**

*Dominiſ ac patroniſ ſuis reverenter & officioſe
honorandiſ, non pro moriſ indicio, ſed grati animi
ſymbolo, obſervantiæq; minimè ſucata indubitata
teſſera, orationem hanc*

dicat, offert, confeſtrat

Jacobus Martini D.



Panegyricas nostras orationes, Magnifice Do-
 mine Prorector, Illustrissimæ Principis Anhaltinæ vi-
 duæ legatæ Splendidissime, vir strenue, vosque Reve-
 renda dignitate, amplitudine, consilijs, experientia, hu-
 manitate, prudentia, maxime conspicui viri, Domini
 hospites, collegæ & fautores plurimum honorandi, Tuque studio-
 rum corona lectissima, nobilissima, panegyricas nostras orati-
 ones, inquam non melius, hoc est, justius aut decentius auspicamur,
 quam gratæ erga Deum mentis testificatione; agnoscentes pio ac
 devoto pectore summam omnipotentis ac misericordis Dei nostri
 bonitatem in hanc Academiam uti semper à primordijs ejus, sic cum
 primis in hoc adeo tremendo temporis articulo se effundentem:
 cum sub tot tamque crudelibus bellorum motibus, & tempestati-
 bus Germaniæ sævissimis, Scholam hanc sub alarum suarum umbra
 benignè protexit, & tanquam annulum signatorium in manu sua,
 imò ceu pupillum oculi custodivit, insperato prorsus & incredibili
 planè beneficio. Sanè ita Deus non fecit hodie omni nationi. Non
 minus ergo de Witteberga nostra, atque olim de Hierosolyma ex
 Psalmo dici potest: Magnus Jehova, & laudandus valdè in civitate
 Dei nostri, in monte Sancto ejus, Mons Sion, nempe hæc Witteber-
 ga nostra, pulcher termino, gaudium universæ terræ. Ad latera
 Aquilonis sita est civitas Regis magni, Deus in palatijs ejus, nempe
 templis ac domibus, agnitus est, quod sit arx sublimis & refugium
 nostrum. Quoniam ecce Reges congregati sunt, & transierunt
 pariter. Sicut audivimus, ita vidimus in civitate Jehovæ exercitu-
 um, in civitate Dei nostri, Deus firmavit eam usque in secula. Ex-
 pectavimus Deus misericordiam Tuam in medio Templi Tui, se-
 cundum nomen tuum, sic laus tua usque ad fines terræ, justitia ple-
 na est dextera Tua. Latabitur mons Sion, exultabunt Filix ejus
 propter judicia Tua, Domine. Circumdate Sionem & circuite

eam, numerate turres ejus: firmate muros & sublimare palatia ejus,
ut enarretur generationi posteræ. Quoniam ille Deus noster in se-
culum & perpetuò: ipse ducet nos ut juventutem.

Quoniam verò, auditores, horrendum in modum frendet ac
fremet Satanas, dira moliuntur & sanguinem nostrum sitiunt Pon-
tificij, & cum primis Jesuitæ infernates illæ locustæ, qui ex Abyssò
provolantes, Regum & Principum animos in nos Lutheranos inflam-
mant, & nullum non lapidem movent, ut status Evangelicarum A-
cademiarum, qui hætenus pulcerrimus fuit, turbetur, imò convel-
latur, ut data Religioni pax subvertatur, ut omnes nos exterminemur
radicitus & deleamur funditus, ut Ecclesiæ, præclarissimè con-
stitutæ tenebris pontificiorum errorum plusquam Cimmerijs rursus
implicentur, sub intolerabile Romani Antichristi jugum retrahan-
tur, & sic de nobis devictis triumphum agere pro lubitu valeant, su-
am Pestilentia cathedram reficiant & vulnera Babylonicæ mere-
trici, Regum seductrici & populorum, per verbum Evangelij infli-
cta, sanent, & papatum totum, nobis funditus subversis, in inte-
grum restituant. Cum igitur non est alius, qui pugnet pro nobis,
nisi tu Deus noster, quare pœnitenti corde, coram te, æterne Deus,
pater Domini nostri Jesu Christi preces nostras prosternimus, dicentes
& confitentes cum Daniele Propheta: Peccavimus, iniquè egimus,
improbè fecimus ac rebellavimus, & recessimus à mandatis tuis &
judicijs Tuis, & non auscultavimus servis Tuis Prophetis, qui locuti
sunt in nomine tuo ad Reges nostros, principes nostros & patres no-
stros, & ad totum populum Terræ. Penes te Domine, est justitia, ac
penes nos pudor faciei, sicut est hoc die penes virum & incolas Ger-
manicæ nostræ, quos premit ira Tua propter prævaricationem no-
stram, qua prævaricati sumus in te. Omnes transgressi sumus Le-
gem tuam & declinavimus non obtemperando voci Tuæ: propter-
ea effusa est super nos execratio illa & adjuratio, quæ scripta est in
Lege Mosis Servi tui. Sed, ô Deus misericors, delicta nostra, qui-
bus justissimam iram tuam sumus meriti, propter sanguinem & mor-
tem unigeniti Filij tui, Domini nostri Jesu Christi, paternè nobis
condona, neque nobiscum age secundum peccata nostra, neque se-
cundum iniquitates nostras retribue nobis: ô Domine pro omnibus
justi-

justitijs tuis avertatur obsecro furor tuus & ira tua à patria nostra
dulcissima, Germania, & à monte sancto Tuo. Propter peccata
enim nostra & ob iniquitates Patrum nostrorum Ecclesia tua & po-
pulus Tuus in opprobrium sunt cunctis, qui sunt in circuitu nostro.
Nunc ergo exaudi, Deus noster Orationem servorum Tuorum &
deprecationes ipsorum, & illustra faciem tuam super sanctuarium
tuum desolatum, propter Domium nostrum Jesum Christum: In-
clina aurem tuam & audi: aperi oculos tuos & vide desolationes no-
stras & terram, super quam invocatum est nomen tuum. Non e-
nim in justitijs nostris prosternimus deprecationes nostras in con-
spectu tuo, sed in miserationibus Tuis multis. Quare, ó Domine ex-
audi, Domine parce, Domine attende, & fac, ne moreris propter
te metipsum & Filium tuum, Deus noster. Conserva Ecclesiam tu-
am, quam Jesus Christus sanguine suo redemit, lavit & sanctifica-
vit. Domine Deus virtutum respice de cælo & vide & visita vi-
neam tuam, quam plantavit dextera tua. Increpa seram arundinis,
congregationem taurorum conculantem propter beneplacitum
argenti, dissipa gentes, gentes, quæ bella volunt: Exurge Domine
& dissipentur inimici tui, & fugiant à facie tua, qui oderunt te. Pro-
tege & fulci potenti dextera tua Serenissimum Electorem Saxonie,
Magistratum nostrum elementissimum, sospita cunctos principes
ac Magistratus, qui verbo Evangelij tui hospitia præbent. Adsis ó
benignissime Deus Electoribus ac principibus proceribusque Ger-
manie, Mulhusij congregatis, adsis illis Spiritu Sapientie, Spiritu pa-
cis & concordie, da salutaria consilia, dirige illa in nominis tui glo-
riam, in Ecclesie emolumentum & Reipublice firmamentum, ut
tandem desideratissima pax restituatur afflictissime patrie nostrae,
ó Domine exaudi, & respice in faciem Christi Tui. Conserva scho-
lam hanc nostram, verbi tui salutarem officinam, benedic laboribus
docentium & discipulorum, & largire nobis & posteris nostris, ut te
æternum patrem unà cum Filio tuo, Domino nostro Jesu Christo
& consubstantiali Spiritu Sancto recte agnoscamus, Tibi vero cul-
tu pie deserviamus, donec hac vita functi perveniamus ad civitatem
illam Dei viventis, ad cælestem Hierosolymam, teque in innumera-
bili angelorum cœtu, in concione primogenitorum, qui in cælo

Conscripti sunt, æternam celebremus, cantantes jugiter: Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus Zebaoth, Cui æterno Deo nostro sit laus, honor, & gratiarum actio in sempiterna secula, Amen.

Votis his Deo nuncupatis, jam longiore præfatione omiffa, ad institutum nos conferemus. Despiciente igitur me, quid huic temporis & loco, ipsique officio, quod in præsentia gero, conveniret, occurrit controversia, inter nos & Pontificios diu multumque agitata, *De vero & unico capite Ecclesie, Christo, an illi visibile in hisce terris, utpote Papa Romanus, adjungendum sit.*

De hac ergo Quæstione ac disputatione sanè ardua & scitu omnibus necessaria, verba nunc faciam, & quidem hoc celeberrimo die faciam, quo Candidato Theologiæ nostro eruditissimo & Excellentissimo, gradus ac titulus Doctõris conferendus est.

A te, magnifica, amplissima, nobilissima, ornatissima & humanissima Concio reverenter peto eandem, quam præcedentibus temporibus expertus sum audiendi clementiam & benignitatem. Dabo operam, ne inutilis, nec injucunda hæc quoque sit auscultatio.

Ecclesiam Catholicam vivum esse corpus, non quidem physicum, non mathematicum, non politicum, sed spirituale, & mysticum, constat ex Epistola Pauli I. Cor. 10, v. 17. *ἐν σῶμα ὅι πολλοὶ ἴσμεν*, Et cap. 12, v. 12. *Quæmadmodum corpus unum est, & membra habet multa, omnia verò membra Corporis unius, multa cum sine, unum sunt corpus: sic & Christus.* Etenim per unum Spiritum nos omnes in unum corpus baptisati sumus, sive Iudæi, sive Græci, sive servi, sive liberi: Omnes unum Spiritum hausimus.

Nec ἀκέφαλον est hoc corpus: sed ut unicuique corpori vivo & animato suum est caput: sic quoque hoc mysticum suum habeat caput, necesse est, utpote à quo pendeat, efficaciter vivificetur, alatur, foveatur, regatur, defendatur, & plenissimè tandem salvetur atque glorificetur.

Caput hoc Ecclesie unicum est. Sicut enim non est truncata Ecclesia ἀκέφαλος, sic neq; πολυκέφαλον Θεῖον existit. Quippe quæ unum est corpus, Eph. 4, v. 4. Et quidem non monstruosum, sed formosum *ibid.* 6, v. 25. Uno utique eam duntaxat capite præditam

præditam statuamus oportet, ne monstrum multo. capitum, hy-
drae instar, monstruosè & impiè fingamus eam & deformemus.

Caput hoc Ecclesiae unicum Christus est, sicut vir uxoris, & contra,
teste Paulo ad Eph. 5. *Vir est Caput uxoris, quemadmodum Christus est caput Ec-
clesiae. Et rursus ad Ephes. 1. Eum, inquit, dedit Caput super omnia, ipsi Ec-
clesiae, quæ est Corpus illius, complementum ejus, qui omnia in omnibus implet.*
Et ad Eph. 4. *Crescamus in illo per omnia, qui est Caput, Christus: in quo to-
tum Corpus augmentum facit.*

Ex his & similibus sacrae scripturae testimonijs liquet, Christum
omnibus modis Ecclesiae unicum existere caput, nec ullum dari vel
excogitari posse, quo dici id queat vel duplex, vel multiplex. Nem-
pe est unicum Ecclesiae caput & perfectionis, & efficaciae, & officij &
dogmatis ratione.

Perfectionis quidem. Nam ad Perfectionem Capitis Eccle-
siae requirebatur, ut esset verus Deus & verus Homo. Verus Deus,
ut Ecclesiam suam omnipotenter contra omnes portas Inferorum in-
stitueret, regeret, protegeret & salvam faceret. Verus Homo, ut pro
populo suo mori posset, animamque pro omnibus ponere, & sic, ut
θεῖον ἴσως & geminae substantiae Gigas, victis omnibus nostris
hostibus, sua obedientia & morte sufficiens *λύτρον* Deo patri pro
omnium hominum delictis solveret. Jam verò solus Christus ve-
rus Deus simul & Homo est. De hoc enim solo dicitur: *ὁ λόγος*
σαρξ ἐγένετο: De hoc solo affirmatur, quod Deus sit manifestatus
in carne: quod unus sit Deus, unus etiam Mediator Dei & Homi-
num, Homo Jesus Christus 1. Tim. 2. Quod sit noster Immanuel,
hoc est, nobiscum Deus, Matth. 1. Hinc fides recta est (ut habet
Symbolum Athanasianum) ut credamus & confiteamur, quod Do-
minus noster Jesus Christus Dei filius, Deus & Homo est. Deus,
ex substantia Patris ante secula genitus, & Homo, ex substantia Ma-
tris in seculo natus.

Ratione efficaciae est unicum Ecclesiae caput Christus. Hic e-
nim solus plenus gratiae est & veritatis, cuique soli Deus non adme-
titur Spiritum, sed qui (& quidem secundum naturam assumptam.)
Spiritu gratiae super fratres & consortes suos sine mensura est unctus:
proindeque ejus infinita gratia exuberans, nobis quoque fratribus suis,
de hac sua plenitudine communicat. Ideo enim ungi voluit, non quod
ipse

ipse quicquam hac unctione indigeret: quippe qui perfecta fuisset persona, si maximè non assumpsisset humanam naturam & secundum eam unctus fuisset: sed propterea $\lambda\gamma\theta$ carnem assumere, & eadem plenitudine sui Spiritus ungere voluit, ut nobis inde, tanquam ex largissimo fonte, gratia Dei promanaret. Ut igitur Caput totum corpus, singulaq; ejus membra pulcerrimo nexu continet, illisque vitam, sensum, motum, imò omnes rerum gerendarum nervos suppeditat: ita etiam Ecclesie suae vitam spiritualem (Joh. 1. v. 4. s. 8. 6. 10. v. 10.) vigorem, sensum, motum, (Ephes. 4. v. 15.) & omnes denique agendi vires (Iob. 15. v. 4. 5. 6.) abundè largitur & communicat,

Vt sit jam penitus carnalis originis exors,

Qui membrum est Christi capitis, qui in corpore vivit,

A quo subjectos vigor omnia manat in artus:

Et sic quaeque suo vegetantur in ordine partes,

Vt quod agunt, & dispositus quod moribus explent,

Ex illo possint, qui summa atq; ultima pacans,

Vt nos insereret summus se miscuit imus,

Ut quidem Prosper Aquitanus canit in lib. de Ingratis. Ratione officij est caput Ecclesie unicum Christus, Ut enim caput in corpore supremum obtinet locum: ita nihil sublimius est imperio Christi (Dan. 2. v. 22.) ad summam dignitatem & Majestatem evecti (Matth. 28. v. 18.) Is enim solus Rex, Propheta, Sacerdos summus est, qui praesidet Ecclesie, dominatur, & perfectam salutem & defensionem praestat suo corpori, illique in dextra Majestatis suae praesens est: quippe qui omnia in omnibus implet, (Eph. 1. v. 23.) Proindeque ipse solus est simul ostium ad ovile Domini, & unus Pastor ille ovium fidelis, qui summa fide eas curet, pascat, regat, protegat, & vitam aeternam largiatur, ut de ipso vaticinium extat apud Ezechialem cap. 34. quando Dominus ait: *Ego salvabo gregem meum & suscitabo super omnes pastorem unum, qui pascat eas, servum meum David, id est, Christum, Davidi promissum.* Hanc enim Prophetiam in se adimpletam esse Christus planis verbis ostendit, Ioh. 10.

Tandem ratione doctrinae Christianae Christus Ecclesie caput est, unicum: nempe ratione illius doctrinae, quae est de vera & salvifica

Dei

Dei agnitione, qui carere nequeunt, quicumque salvari & vitam æternam consequi cupiunt, & in eo unice consistit, sicut Christus ipse nos docet *1ob. 17.* ut agnoscamus Patrem, solum verum Deum, & quem misit Jesum Christum. Quia autem salvifica hæc cognitio nobis ipsis sive lumine rationis nostræ acquiri nequaquam potest: quippe quæ cæca est in ejusmodi Spiritualibus & Deum nemo vidit unquam, ut Johannes Baptista affirmat *1ob. 1.* Deus noster clementissimus, miseriæ & cæcitatibus nostræ misertus, in novissimis diebus per λόγον æternum, tanquam Interpretem suum, de se suaque voluntate nobis locutus est, qui summè necessariam illam Dei cognitionem nobis in verbo & scripturæ libro aperuit, dum ipse tanquam unigenitus Dei filius, ex sinu æterni Patris protulit Evangelium æternum, & tanquam Rex in Sion constitutus, non obscure nobis prædicavit Præceptum Domini, & tanquam cœlestis consiliarius, nobis notum fecit mysterium patris juxta beneplacitum ejus, ut ita omnia sub unum Caput reducerentur in Christo, quæ in cœlis & in terra sunt. Quia ergo Deus (docente Apostolo *Hebr. 1.*) in Novo Test. non varijs modis, quibus olim patribus, sed per Filium in Evangelio est locutus; utique nec alia doctrina, nec alia interpretatio Scripturæ, quam quæ ab ipso Christo facta, expectanda est, *Gal. 1.* sed ut visiones & Prophetiæ omnes, per Christum obsignatæ, etiam eventu completæ sunt: sic insuper Evangelium, in quo Deus voluntatem suam planè & perfectè revelavit, nobis prædicavit. Ad hoc igitur solum Evangelij verbum ablegamur, ex cujus solius auditu fides est.

Si ergo in Veteri Test. multo utique magis nunc apud nos in tanta Evangelij luce locum habeat illud *Esaïæ 8.* *Ad legem & Testimonium: quod si non dixerint juxta verbum hoc, non erit eis matutina lux.* Et apud *Lucam 16.* Abraham diviti Epuloni in Evangelio dicit: *Habent Moysen & Prophetas, hos audiant. Si his non crediderint, neq; credent, si quis ex mortuis resurrexerit:* Idem quoque nobis dictum meminerimus: quippe qui non tantum Moysen & Prophetas habemus, sed insuper Novi Testamenti clarissima scripta, in quibus ipse Filius voluntatem Patris enarravit. Ergo nobis in Novo Testamento neq; alius revelationis doctrinæ modus, neque aliud post promulgatum Evangelium, doctrinæ genus, expectandum. Nullum enim aliud caput, doctor, ductor & pastor agnoscendus. Quandoquidem, ut ex

B

dictis

dictis constat, solus Christus hujus ovilis caput, & pastor est, *loh. 10.*
Imo ἀρχιεπίσκοπος & princeps sive caput Pastorum, affirmante vel i-
pso Petro in Epist. 1. Cap. 5. v. 4. Cum ipse princeps pastorum apparue-
rit: nempe hoc vult dicere Apostolus: nullum in mundo esse Pasto-
rum principem, præter ipsum Christum. Atque hinc factum est,
ut Patres Carthaginenses decreverint, ne primæ sedis Episcopus ap-
pelletur princeps Sacerdotum, aut summus sacerdos, aut aliquid
hujusmodi; Uti etiam Patres & Episcopi Romani ab hujusmodi su-
perbis titulis & appellationibus abstinuerunt.

Hinc patet Capitis dignitatem tam propriam esse Christo, ut
cum nulla re creata communicari, nullumque aliud illi adjungi vel
subordinari possit. Sane non ratione perfectionis, ne secundarius
aliquis Deus, & alter mediator Dei & hominum, contra rectam ra-
tionem, quæ plures uno Deo non admittit; contra manifestam scri-
pturam, quæ tantum unicum mediatorem Dei & hominum, homi-
nem Jesum Christum, agnoscit; & tandem contra ipsam personam
Messiæ: cum solus Christus sit Θεὸς ἁπλοῦς, Deus & homo, impiè
& blasphemè asseratur & introducatur.

Neq; rationem efficaciam, ne plures omnipotentes, plures sine
mensurâ super omnes consortes uncti; plures vivificandi virtute præ-
diti, eadem impietate statuuntur & defendantur. Quandoquidem &
illud contra rectam rationem, Hæc enim ut unicum Deum, sic unum
omnipotens Numen defendit: Contra manifestam scripturam, quæ
solum Christum super consortes unctum, solamq; ejus carnem vivi-
ficam prædicat: Et tandem quoq; contra personam Christi: cum
unctio sine mensura in & per incarnationem facta sit.

Neque ratione officij, ne plures Reges Populi Dei, plures Ar-
chiepiscopi, & summi Sacerdotes, plures salvatores, & ad vitam æ-
ternam vivificatores, plures cœlestes consiliarij, non sine blasphe-
mia in Deum & Christum ejus statuuntur, vel etiam officium Chri-
sti imperfectionis alicujus accusetur. Reges quidem hujus sæculi,
quia sunt ἄλλοι ἄνθρωποι, proindeque imperfecti, non omnipoten-
tes, non omniscientes, non ubique in Regno præsentis; omnia u-
tique ipsi videre, audire, arbitrari & immediatè gubernare neque-
unt: vicario igitur capite indigent, quod suppleat defectum & vi-
ces gerat absentis. Verum, ut demonstratum, ejusmodi imperfe-

ctio

Capitulum in nostrum Regem & caput, Christum, nequaquam cadit. Etenim omnipotens, omniscientis, & Ecclesie suae, universisque & singulis ejus membris praesens, quippe qui omnia in omnibus implet: & quoque quia Filius Hominis est cernitur a Johanne ambulare in medio Candelabrorum aureorum, hoc est, Ecclesiarum, in terris militantium, *Apo. i.* proindeque nobiscum est Rex noster Christus usque ad consummationem seculi, *Matth. 18.* Quippe qui a corpore suo non reavellitur, sed ratione duntaxat & κατ' ἐπινοίαν quit distinguitur: quippe arctissima ejus cum Ecclesia conjunctio est secundum rem & veritatem: siquidem soluto hoc nexu, nulla amplius foret Ecclesia, Non enim haberet, quo vegetaretur, & auferetur tota, singulaque ejus membra convenienti incremento adolescerent. Cum igitur non aliud Caput Ecclesiae congruat, nullaque Rege praesente capituli vicarij sive Proregis sit vel utilitas vel autoritas, Rex noster Christus non succedanei Regis operam magis desiderat, quam vel se regio huic muneri imparem fatetur, aut alium & parem reperit. Quid? quod caput vicarium aut proregem absque diserto Regis mandato creare, ad injuriam & contumeliam Regis pertinet: si vero ejusmodi mandatum unquam extiterit, utique ab Apostolo ad *Ephes. 4. v. 11.* Ecclesiasticam hierarchiam delineante, non sine fraude commissum fuit. Verum tantum abest, ut Apostoli hac de re mandatum acceperint, ut cogitationes illas de capite aliquo (praeter Christum) in Ecclesia constituendo, toties damnaverit Salvator, quoties Apostolos de primatu litigantes, ratione potestatis exaequaverit, subinde dicens ac docens: Qui maximus est inter vos (intellige donorum ratione) sit ceterorum minister, *Matth. 20, Lu. 22.* Imo ipse Apostolus Paulus de Antichristo vaticinans, *2. Thes. 2.* hunc ipsum primatum (uti sibi sumsit Pontifex Romanus) pro signo magno & certo venturi in mundum Antichristi non obscure assignavit. Et sane certius & majus dari non potuit. Si enim Ecclesia, tanquam casta virgo, unico viro est adjungenda (*2. Cor. 11. v. 2.*) atque vir ille est caput suae sponsae; sane quisquis praeter unum hunc sese Ecclesiae Christi caput constituit, idem etiam sese Sponsum ejus profitetur: ac propterea si plures unius sponsae sponsi esse nequeunt, sequitur, alterum illud caput adulterinum potius (quippe quod scortandi gratia se obtrudet) quam secundarium arbitrandum & dicendum esse.

B 2

Neque

Neque ratione doctrinæ, ne plures Evangelij, ex sinu æterni patris primi revelatores & arcanae Dei Patris voluntatis patefactores & interpretes, atque sic Legis Evangelicæ plures Doctores & promulgatores rursus non sine summa in Deum & Christum ejus injuria & blasphemia, summaque Ecclesiæ, Sponsæ, suæ ignominia, asserantur & introducantur.

Quocirca horrendum magnæ Meretricis Babylonica *Βδέλυγμα* est & aberratio, quod genuino huic & unico Ecclesiæ capiti ac fundamento, aliud commentitium, nothum, spurium & adulterinum supponere non est verita, nempe se ipsam, hoc est, Papam Romanum, qui sit supremus Monarcha in regno Ecclesiastico.

Ut nihilominus fictitio huic Capiti fulera aliqua fabricent Papæ satellites; aliquot excogitarunt eique applicarunt hypotheses. Nos impræsentiarum tantum duas videbimus & examinabimus.

Primum quod dicunt, *Visibilis Corporis oportere etiam visibile esse caput in terris.* Deinde, quod commenti sunt Pontificatum quendam Apostoli Petri, quem Romæ per annos Viginti quinque tanquam summus præses, fundamentum & caput, gesserit, eumque jam vita functus jure quodam hæreditario scilicet ad Papas, sibi ordine succedentes, demiserit.

Sanè prima hypothesis frivole & nugatorie applicatur ad præsens negotium. Allegorias enim & similitudines ejusmodi non *κατὰ μίσην ἔξουχίζεσθαι*, sed pro ut ratio & scopus similitudinis postulat, ex ponere decet. Quæmadmodum enim culter, quamvis ad scindendum factus, non tamen ab omni parte scindit: sic neque allegoriæ & parabola, licet ad significandum adhibitæ. in singulis partibus vim illam obtinent. Deinde loquitur hypothesis de ejusmodi corporibus: quæ sunt *ἀπλῶς* visibilia, proindeque vel Physica, vel Mathematica, vel Politica; inter quæ Ecclesia nequaquam referenda: cum, uti statim ab initio docuimus, sit Spirituale & mysticum: proindeque diverso respectu visibile & in visibile corpus. Potius verò invisibile: cum respectu formæ internæ fidelitatis & vitæ spiritualis, quæ in fide salvifica & internis Donis Spiritus Sancti, in oculos minimè cadentibus, consistit, Ecclesia sit simpliciter invisibilis: respectu verò formæ externæ, ut est cœtus docentium & discipulorum doctrinam cœlestem, & utentium legitime Sacramentis, quam-

vis per se fit visibilis, nostri tamen respectu & κατὰ τὴν aliquando fit invisibilis: haud secus ac Sol per se & absolutè visibilis; nobis verò tum demum visibilis est, cum ad horizontem nostrum ascendit, neque alicujus corporis interventu sive objectu conspectus ejus nobis eripitur. Imò quatenus hic cœtus dicitur & est Ecclesia Catholica, invisibilis est. Quandoquidem τὸ καθόλου non magis quàm Substantia in visum eadit. Catholicam ergo esse Ecclesiam fide intelligimus, nullo sensu percipimus. Quò jure igitur à Pontificijs illud καθόλου inter notas Ecclesiæ numeretur, quilibet facile intelligit: cum Ecclesia ipsa notior sit, quàm hæc nota. Quomodo etiam, quod visibile non est, nota rei visibilis, per quam videatur, & cognoscatur, esse vel dici potest? Particularis quoque Ecclesia non uno modo nobis invisibilis fieri potest. 1. Propria culpa, quando Orthodoxam doctrinam, quam prius amplectebatur, ipsa abiicit, ut cum civitas aliqua, ejurato Christo, in Mahometi Idolomaniam jurat, invisibilis nonnullis personis, in vera fide perseverantibus. Deinde alieno scelere, quando Tyrannorum furore externa Ecclesiæ forma ita conturbatur, ut, erepti coeundi & sacra publicè tractandi & administrandi libertate, illa & congregari & conspici desinit. Tertio invisibilis fit Ecclesia respectu eorum, qui humanam infirmitate præpediti, eam latentè inter impios nō animadvertunt, ut olim Eliæ contigit 1. Reg. 19.

Cæterum quicquid horum accedit Ecclesiæ, semper utique est visibilis aliqua in terris, Ecclesia; in terris, inquam, at non magis Romæ, quàm alibi: Neque ex eo, quod visibilis est, sequitur, eam tantùm visibilem nec diverso respectu invisibilem esse. Imò ipsimet Romanæ Ecclesiæ advocati doctrinæ hujus veritatem agnoscere coguntur. Sit nobis omnium instar Bellarminus, scribens: *Melius dico in Ecclesia aliquid videri, & aliquid credi. Videmus enim eum cœtum, qui est Ecclesia, sed quod ille cœtus sit ipsa vera Christi Ecclesia, non videmus, sed credimus.*

Et icet eo ipso in loco videri velit Jesuita, ac si rejiciat Ecclesiæ nostræ adsertionem de invisibili Ecclesia, tamen his verbis eam manifeste probat: cum nos quoque eam potissimum invisibilem statuamus ratione formæ internæ, per quam invisibilis per se est, licet etiam accidat, ut quoad formam externam in sensus non incurrit, ut probavimus. Atque sic manifestum esse arbitramur, hypo-

thesim illam primam male ad præsens institutum applicari. Deinde si de necessitate Ecclesiæ absolutâ esse adhuc existiment Pontificij, habere aliquod visibile caput, idque se demonstrare posse autumant; dicant vobis, quodnam & ubinam fuerit visibile caput, & sedem suam habuerit, Christo post suum in cœlos ascensum, visibiliter amplius in hoc mundo non versante? Forſan Petrus fuit: At Petrus tum ex pacto, Apostolatu duntaxat Circumcisionis fungebatur & nequaquam præputii sive gentium, quorum Apostolus constitutus erat Paulus, ut videre est *ad Gal. 2.* Eligant ergo Pontificij: Aut Ecclesiam gentium interea temporis capite caruisse: aut Paulum, visibile illud caput constituisse. Si illud; Gentium Ecclesia non fuit illo tempore corpus, sed truncus: quippe principaliore membro, nempe capite, destituta: Si hoc: tum adhuc tertio capite augetur, & monstrum triceps monstrôsè fingitur Ecclesia, habens unum commune invisibile, Christum, & duo singularia visibilia capita, Petrum & Paulum.

Verum enim vero illud forſan Pontificijs minimè absurdum videbitur. Quandoquidem anno millesimo quadragesimo quinto tres fuerunt Papæ, nempe *Benedictus Sextus, Sylvester tertius, & Gregorius sextus*: qui omnes uno eodemque tempore sellam Pontificiam affectarunt, imò occuparunt, singulique plures ordinarunt Episcopos, à quibus rursus alij sunt creati & ordinati. Contra verò sedes hæc pontificia, cujus perpetuam successionem (utpote à qua veritas Ecclesiæ pendeat) semper in ore habent & urgent, aliquoties ad biennium, testibus Platina & Volaterrano, vacua fuit: Ut ita Ecclesia ex Pontificiorum hypothefibus fuerit modo truncus ἀκέφαλος modo monstrum πολυκέφαλον. Sed talibus nugis longè dignissimi sunt Romanenses, qui in ipsa meridie malunt æternum cocutire & ad hoc conatum omnem suum convertere, ut putidissimis commentis suis, ceu folijs ficus, perizomata consuant, quibus pudenda meretricis magnæ Babylonicæ aliquo modo coram hominibus contegant, quam ut cum Christi fidelibus porfiteantur, Papam nullo jure se pro capite Ecclesiæ venditasse hæctenus; sed ex Antichristiano Spiritu, Christo, ut Caput adulterinum γυνήσιν capiti, apposuisse.

Adhuc de primo fulcro sive hypothefi Pontificiorum: sequi-

or

tur altera. Ubi non possumus satis mirari aut stupiditatem Pontificiorum dogmatistarum, pro concessio ac rato assumentium id, quod prorsus ad concludendum est invalidum & adhuc controversum: aut effrenam aut projectam impudentiam, qui toties pridem confusi eandem tamen crambem recoctam identidem sine omni rubore, pudore ac fronte in conspectum Ecclesie Christi reponunt & clamant: *Petrum olim gessisse Pontificatum Romanum, & fuisse caput Ecclesie: Ergo & Papam Romanum esse caput Ecclesie.* Antecedens enim hujus Ethymematis nullis haec tenus firmis rationibus probarunt Pontificij.

Nam Petrum unquam Romam pervenisse, adhuc est incertum: ipsum ibi viginti quinque annis permansisse, est incertus: Omnium autem incertissimum est, ibi pontificalem primatum usurpasse. Si enim tota Biblia à Geneseos principio ad Revelationis finem perlegeris, nihil istorum invenies: quod verò omnino necessarium foret, si, ut volunt Pontificij, hoc dogma ad fidem pertineret, & ut unusquisque crederet, de necessitate salutis esset. Quia contrarium potius ex sacris literis est manifestum.

Extra controversiam est conversionem Pauli contigisse anno à nato Salvatore nostro trigesimo quarto, & primo ab ejusdem ad dextram Majestatis Paternae exaltatione. Jam verò in Epistola ad Galatas c. 1. v. 17. & 18. refert, se post conversionem non rediisse Hierosolymam, sed abiisse in Arabiam, ac denuò reversum esse Damascum: post triennium verò à conversione, hoc est, circa annum Domini trigesimum septimum, Hierosolymam adiisse, ibique Petrum visitasse & dies quindecim apud ipsum mansisse. Quae historia etiam narratur *Actor. 9. v. 26.* Manifestum igitur inde est, Petrum id temporis non Romae, sed Hierosolymis fuisse. Inde profectus Paulus venit in regionem Syriae & Ciliciae v. 21. & interjectis annis quatuordecim, hoc est, sub annum Christi quinquagesimum, primum iterum Hierosolymam itinere suscepto, Petrum ibi invenit, *Gal. 2. v. 1.* Et additur v. 7. vidisse Apostolos, Paulo conceditum fuisse Evangelium praepotij, sicut Petro Circumcisionis: & qui in Petro efficax fuerit ad Apostolatam Circumcisionis, efficacem fuisse quoque per Paulum erga Gentes. Unde irrefragabiliter colligitur
Petrum

Petrum non modo totis annis octodecim ab ascensu Domini Romæ non prædicasse, sed intra fines circumcisi duntaxat Populi toto ille tempore Apostolatu functum fuisse. Porro illo ipso *cap. 2. ad Galat. v. 9.* quia affirmat Paulus, sacrosanctam inter se & Apostolos esse initam societatem, junctis dextris confirmatam, ut deinceps Jacobus & Petrus, & Johannes inter Judæos Evangelium propagare velint, ipse verò Paulus & Barnabas inter gentiles; sequitur, ne tum quidem Romam se contulisse Petrum, nisi forsitan fœderis oblitum. Sin verò causæ bonitate freti in gratiam Romanensium velimus fingere, eis que largiri, eo ipso anno, quo partitio facta est, Petrum venisse Romam, ibique annos viginti quinque Pontificatum (ut ipsis quidem suaviter placet nugari) administrasse, manifestis nos absurditatibus involvimus. Additis enim hisce viginti quinque annis ad quinquaginta unum, quo conventus secundus Apostolorum, est celebratus, evadet annus Christi septuagesimus sextus, qui incidit in annum Imperij Vespasiani sextum. At Petrus sex annis antè martyrio coronatus sub Nerone expiravit. Ergo aut revixit tum Petrus; aut mortuus etiam ad gubernacula Ecclesiæ Romanæ sedit; aut pronunciatum Pontificiorum in fabulam abit: nostræ verò assertionis inconcussa perstat firmitas, Petrum Romæ non fuisse, nec primatum pontificialem usurpasse: Multo minus Papam pro successore instituisse.

Conferantur etiam, quæ *cap. 1. & 2. ad Galatas* commemorantur de Petro, cum illis, quæ in Actis narrantur, & manifestissimum erit, Petrum quidem Hierosolymis, Lyddæ, Joppe, Cæsareæ &c. sed nunquam Romæ inventum fuisse. Inde etiam quoties Paulus Petrum quærit, Hierosolymis eum, nunquam Romæ, quærit. Et mirum sanè, quod toties & tam multos Romanos nominat, nec tamen quicquã de Petro, ibi in summa dignitate, sedente, Primatum Pontificialem usurpante, & triplici corona superbiente & regnante, meminit. Mendacem oportet esse memorem!

Sed fingamus in gratiam Romanensium, Petrum tot annos esse apud Romanos legatione Apostolica functum; num illico pro fundamento & pro capite totius orbis Ecclesiæ universali eum reputabimus? aut num iisdem Antichristi fascinati præstigijs, Petrum
ipsum

ipsum sui muneris oblitum pro capite Ecclesiarum se venditasse,
communi errore statuamus? Minimè gentium! Fuiſſet quippe ſupra
modum fragile, imbecille & verè arenosum fundamentum, debel-
landisq; ac expugnandis portis inferorum haud quaquam ſufficiens.
Et quia omnis homo mendax, ſolus verò Deus verax *Rom. 3.* ſuo ex-
emplo Petrus luculenter teſtatus eſt, nihil eſſe tam proclive in huma-
nis, quàm errare, fallere & falli, de primatu in Regno Chriſti, quod
ſeculare putabat fore una cum cæteris Apoſtoliſ ſolicitus, *Matth. 18.*
Quid? quod terna commiſſa abnegatione, à portis inferorum ipſe
fuiſſet ſuperatus, niſi ope Domini ad fidei ſanitatē ſe recepſſet,
Matth. 26. Taceo, quod non tantum à Chriſto repræhenſus eſt,
Matth. 16. antequam plenum Spiritus Sancti donum accepſſet: ſed
etiam perfectiore meſſura Spiritus Sancti jam imbutus, graviter &
juſtè quidem ab Apoſtolo Paulo repræhenſus fuit, *Gal. 2.* Qui etiam
ſine turpiſſimo ſcleratae ἀπεστασίης flagitio tam ſublimem ſibi ti-
tulum vendicare, & ſic Chriſti Redemptoris ſui auguſtiſſimum offici-
um involare ſalva conſcientia ſuſtinuiſſet? Imò longè ſecus à Spiri-
tu Sancto fuit inſtitutus. Sciverat enim: non minus quam reliqui
Apoſtoli, unum eſſe caput ſuper omnem Eccleſiam datum, Jeſum
Chriſtum, & unicum tantum eſſe fundamentum: ac propterea aliud
ponere neminem poſſe, præter id, quod poſitum eſt, nempe Jeſum
Chriſtum, ne Angelum quidem de cælo. Sciverat ex ſermone
Chriſti, quem haud dubiè imis ſenſibus imbiberat, ſuper confeſſio-
nem ſuam, tum propalam editam, univerſam Eccleſiæ ſtructuram,
tanquam firmiſſimæ petrae inædificatam eſſe, non igitur ſuper ſe, a-
renam, fundari poſſe.

Sed quid multis? Fuiſſet hoc è diametro oppoſitum officio A-
poſtolicò, ſe pro capite ſeu Fundamento Eccleſiæ oſtentare. Com-
miſſum ſiquidem ſibi habuerat nō magiſterium fidei, ſed miniſteriū,
quemadmodū & cæteri Apoſtoli: Hinc terna repetitione juſſus paſ-
cere oves Domini: & ipſe non vult imperare clero, *συμπροβύτερον*
ſe vocans, ſolum verò Chriſtum ἀρχιμύενα, cujus oves eſſent
propriae. Multo minus externum gladium ſibi vult uſurpare, memor
præcepti Domini: *Reges gentium dominantur ijs, vos autem non ſic.* Hinc
juſſus recondere gladium, citra tergiverſationem obtemperat: ſe i-
pſum

Ⓢ

psum Magistratui subicit. Quare etiam tributum solvit, & alios,
ut idem faciant, hortatur 1. Epist. c. 2.

Quæ cum adeo vera & perspicua sint, sequitur, Petrum non modo à Fundamenti & Capitis Ecclesiæ suspicione penitus absolvi, eumque publico quodam suo Elogio disertè hanc eminentiam Christo soli transcribere: sed etiam ipso cœlesti fulgore clarius demonstrari, apertam esse, non dico temeritatem Romani Pontificis, sed impletatem plane Antichristianam, se ad exemplum Petri Apostoli in tantum fastigium efferre. Manet enim inter hunc & ipsum tantam esse discrepantiam, quanta inter lucem & tenebras, inter Christi Apostolum ac Diaboli ministrum seu vicarium. Ut ex infinitis pauca saltem attingamus; primum in studijs, nulla est convenientia. Petrus enim fuit fidelis Apostolus & verbi minister: At Papa non ministrum se, sed Magistrum; non Apostolum, sed caput proficitur Ecclesiæ: Petrus legitimè ad Apostolatam est vocatus: Papa flagitiosis artibus illam pestilentiam cathedram occupavit. Petrus vocat se *συμπρεσβύτερον*: Papa se Episcopum Episcoporum. Petrus fuit in Apostolatu suo maritus, habuit enim socrum: Papa legitimum mulierum amorem averfatur, interim in concessis libidinibus turpiter indulgens. Petrus æquo animo passus est se reprehendi & à Paulo & Christo: Papa ex ima infernalis barathri abyfso rugit & mugit, de factis Papæ dispntare, esse sacrilegium. Petrus Cornelium centurionem coram se procidentem serio vetat: Papa ad impuros suos pedes Cæsaream Majestatem adigit. Petrus omnes Ecclesiastici Ministerij partes in se suscepit & obiit strenuè: Papa nihil horum, nisi quod nonnunquam missificet, id est, crucifigat de novo Filium Dei. Petrus non est dominatus clero: Papa intolerabili traditionum jugo strangulat conscientias. Sic in Doctrina maxima est *ἀντίθεσις* & discrepantia: Petrus vocat scripturam Prophetarum, sermonem firmum: Papa cum sua purpurata synagoga vocat eam regulam plumbeam, in quamvis figuram flexibilem. Petrus Scripturam lucernæ comparat: Papa obscuritatis maculam ei aspergit. Petrus vult in Ecclesia sonari verbum Dei: Papa *ἑτεροθρησκείας* substituit: Petrus in laicis laudat actionem Scripturæ: Papa utrumque testamentum illis interdicit. Petrus
san-

sanguini Christi redemptionem nostram in solidum acceptam fert: Papa infinitas propè consequendæ salutis rationes proponit. Petrus docet nos liberari à peccatis non auro vel argento corruptibili: Papa in putidissimis indulgentijs auro venalem peccatorum remissionem prostituit. Petrus Christum semel oblatum scribit: Papa indies eum vult offerri in missa theatra. Petrus commendat conjugium præscriptis certis in eo vivendi præceptis: Papa ut impuram vitæ genus in unctis & rasis suis missificatoribus id damnat: &c.

Quocirca cum Pontifex Romanus Petro neque loco, neque Doctrina, neque officio, vita, studijs ac moribus succedat, & tamen pro vero ejus successore, & inde pro fundamento & Capite Ecclesiæ à toto Christiano orbe scelerato planè fastu haberi postulet, intrepidè concludimus, esse eum ipsissimum illum Antichristum magnum, in veteri pariter ac novo Testamento à Spiritu Sancto prædictum: Unicum vero ac solum solidumque fundamentum, caput & Sponsum Ecclesiæ esse Christum Dominum & salvatorem nostrum. Cæterum Deum patrem per Jesum Christum Dominum nostrum ardentissimis votis invocamus & veneramur, ut detectis omnium tyrannorum & sophistarum fraudibus veritatem suam omnibus patefaciat, Ecclesiamque & universam Remp. Christianam à nefarijs hostium Romanensium molitionibus illæsam conservet: Cui sit laus, honor & gratiarum actio seculis nunquam terminandis.

D I X I.

LICENTIÆ PETITIO.

Jam Deo bene juvante ad id nos accingimus, cujus gratia, quæ diximus hætenus, dicta sunt, nec non splendidissimus hic actus institutus est. Produxi in conspectum honoratissimi hujus consensus Reverendum & Clarissimum Præstantissimumque Dominum Laurentium Andream, Ecclesiæ Zviccaviensis Pastorem & Superintendentem, SS. Theologiæ Licentiatum, ut ex decreto Collegij Theologici in Præsentia Magnificæ, nobilissimæ & literatissimæ hujus concionis summis in Theologiæ studio honoribus, hoc est, Doctoreis, publicè solenniterque insigniretur.

Quibus autem donis & muneribus benignissimus Deus hunc nostrum Candidatum exornaverit, quàm præclaros in studijs The-

C 2

olo

ologicis profectus fecerit, quam inculpatae sit vitae, morumque integerrimorum, longa oratione non indiget.

Nam à multis jam annis non huic tantum, sed alijs quoque Aca-
demijs eruditio & virtus ipsius satis innotuit: nihil dicam de ex-
ercitijs Theologicis, quæ suo tempore in lectionibus publicis, con-
cione ad populum, disputatione solenni & Examine, quod rigoro-
sum statuta vocant, instituit, in quibus tam eximia & præclara edide-
rit specimina, ut honores, quos modestè petijt, jure suo postulare
potuisset. Etsi enim virtus se ipsam commendat, & sibi ipsi est præ-
mium; testimonio tamen & honoribus publicis magis excitatur, a-
liosque tacito quasi instinctu ad se invitat.

Quocirca cum Reverendus hic ac præstantissimus vir, à col-
legio nostro dignissimus fuerit habitus, cui summus in Theologia
gradus, quem Doctoratum vocant, conferretur: idcirco Reverende
admodum, Clarissime & Excellentissime Vir, Paule Rober, SS.
Theologiae Doctor & Professor eximie, Prodecane & Procancellaria
Spectatissime, Superintendens Vigilantissime Collega & fau-
tor singulariter & officiosè colende, ad Te mea me oratione conver-
to, ut pro ea, qua in præsentia instructus es autoritate tum Cæsarea
tum Electorali plenam mihi facias potestatem hunc eximium virum
(quem ad pedes tuos decumbentem & eo ipso corporis gestu idem
humiliter mecum petentem vides) eo condecorandi gradu atque ti-
tulo, quem virtus & eruditio ipsius meretur, quique officio, quo fun-
gitur, honoratissimo, singulari esse possit ornamento. Quod si, u-
ti speramus, à Rev. Tua Excellentia impetravero, non tantum ipsum
Candidatum maximo beneficio sibi obstringet, sed & toto Collegio
& toti Academiae nostræ: quin verò de Ecclesia universa, in cujus
commendum & ædificationem hæc omnia cedunt, piè demer-
ebitur. Nos vicissim omnia officij & gratitudinis
studia sanctè pollicemur.



Responsio



RESPONSIO

PAULI ROBERI

SS. Theol. Doct. & Prof. publici Pastoris ac
Superintendentis, Prodecani.

QUæ de capite militantis in terrâ Ecclesiæ sapienter & acutè
abs te dicta sunt, admodùm Reverende Excellentissimequè
Domine Doctor, Decane Collegii nostri dignissime, Præpo-
sita templi hujus cathedralis Spectatissime, Collega colendis-
sime; illa splendidissimo huic auditorio ita procul dubio satis fece-
runt, ut meum his ἐπιβαλλον μέροσ adjicere, videri possit Soli fa-
cem accendere, aut quod dicitur, post Homerum scribere velle
Iliada.

Ut autem de ὁμοψηφία meâ constet, id assero, cum audirem
principia hæc Theologiæ Pontificiæ, tacitam hæc incidisse mihi
ἐπίπρασιν, quæ pleraq; illius dogmata legenti in mentem venire so-
lent, nimirum: OLIM NON ERAT SIC.

Certè dogma de communionem sub unâ specie, OLIM NON
SIC ERAT, Dogma de Invocatione Sanctorum, quod hodie viget,
sancte Elias ora pro nobis, neq; sub Veteri fœdere sic erat, neque olim
sub novo. Dogma de justificatione primâ & secundâ OLIM NON
SIC ERAT. Dogma de votis simplicibus & solemnibus, itemque de votis
perpetuis, de votis cæca obedientia, de votis puerorum & puellarum, OLIM
NON SIC ERAT. Dogma de sacerdotum concubinato,
tolerabiliore quàm sit conjugium, de baptismo campanarum, de tam
diversissimis regulis seu ordinibus, de Sanctorum Canonisatione de
reliquis, de corporis & sanguinis dominici pro mortuis oblatione,
inclusionem, inter reliquias repositionem, plurimaque alia, OLIM
NON SIC ERANT. Ita se res habet cum ipsis Theologiæ hu-

lus principijs & fundamentis. Ut enim taceam de numero librorum
 Canonorum in sacris literis, qui hodie longè alius, quàm olim;
 ut de scripturæ obscuritate, atq; à solo Pontifice Romano petendâ
 explicatione, talibusq; non paucis nihil jam dicam; certè id prin-
 cipium, quo de hæctenus nervosâ oratione satis actum est, num vi-
 delicet Romanus Episcopus sit Ecclesiæ militantis caput atq; Spon-
 sus, OLIM NON SIC ERAT, primisque Christianis prorsus
 incognitum. Sanè non diffiteor, plausibilia & Rhetorica atquè au-
 dica argumenta posse magno numero adduci pro ipsorum sententiâ.
 Concedimus nostris Episcopis, sive secularibus sive Ecclesiasticis, &
 possessiones præscriptas & directorium in Ecclesiasticis; cur id inju-
 stum sit in summo Episcopo? Imò reginam Angliæ dixerunt quidam
 caput Ecclesiæ per Angliam, cur Pontificis subditos ab obædientiæ
 vinculo solveremus? Vivimus in Academijs à Pontifice confirma-
 tis, utimur titulis Episcopi, Decani, Prodecani, Canonorum, quæ
 sanè omnia non à Cæsare conferri vel possunt vel solent, adeoq; nec
 in principes transferri, sed ad reservata pertinent Ecclesiasticorum.
 Unde Jcti quidem Lutheranismi agnoscunt, non esse inconveni-
 ens, sicut Metropolitanis episcopi sunt capita inferiorum, ita è Me-
 tropolitanis eligi, qui summus sit, adeoque caput universale omni-
 um.

Verba Phil.
Mel. in
publ. 4. S.

Quin imò nota sunt verba, quæ habentur in libro nostro sym-
 bolico, permitti posse Papæ superioritatem, si admitteret Evange-
 lium. Si enim non ad prælatos sed ad seculares pertinet inspectio
 Ecclesiarum, utique Imperator Justinianus, Phocas vel alius, jus hoc
 suum transferre in Episcopum Romanum, & ei omnes per Imperi-
 um Ecclesias subicere posse videtur.

Hæc fateor speciosè pingi fingiq; ita posse. Verum enim verò
 non de quovis primatu, sive ordine, nobis hic sermo est, & quid fie-
 ri de jure humano possit; sed de illo agitur, cujus præensione Capitâ
 isti vicario competat non tantum Ceremoniarum ad *εὐχρησύνη*
 institutio, non tantum causarum Ecclesiasticarum cognitio, neque
 solum articulorum fidei è verbo Dei decisio, sed absoluta omni-
 um controversiarum, sive cum concilio, sive absque concilio, deter-
 minatio, cui ratione conscientie acquiescendum sit; neque hæc tan-

tum, sed sententiæ hujus definitivæ executio per anathemata, iisque succedanea bella, pyrios pulveres, equuleos, bonorum confiscationes; adeoque dominium in bona quæ orbis temporalia, quod regum & principum dejectio subditorum à juramentis absolutio & quis recensendo assequi possit singula?

Talem inquam sibi ascribit capitis influxum, ut solus à Deo potestatem habeat, Imperator à Papa, ut Lancelottus è c. *novit ille*, De judicijs, colligit; quod spectat, quod influere seu irruere vult in temporalia, & eorum dominium, saltem indirectum, sibi ascribat; imò quod Romanum imperium feudum Papæ dici quavis Musicâ gratius sit. Certè OLIM NON SIC ERAT.

Hunc capitis in membra influxum Papa sibi vendicat, ut solus possit dispensare contra jus, ut patet ex c. *Proposuit* de concessione præbendæ (Est rescriptum Innocentij III. in decretalibus) id quod praxi ipsâ ita exercet e. g. cū nulla pensio clericalis possit redimi sine licentiâ Papæ, cum ejus facultate omnes possunt redimi, secundum præcipuos Canonistas, qui probant id è praxi, QUÆ LOCO DEMONSTRATIONIS NOBIS ESSE DEBET.

Vide ad Tol.
letum de
casib. cons.
lib. 5. c. 82.

Sed quis hic non elatâ voce clamet? OLIM NON SIC ERAT.

Ejusmodi sibi Papæ influxum arrogat in membra ut major sit omni concilio omnivè statuto, quod eliciunt è c. *significasti*, de electione (rescribente Paschali ad Panormitanum Archiepiscopum) olim non sic erat. Neq; hodie id credunt omnes Catholici. Talismodi sibi sumit influxum in membra Ecclesiæ Pontifex, ut possit principes seculares deponere c. *ad abolendam* de hæreticis (In Decr. Lucij III. rescriptum) Atqui, ô boni viri, Petrus non fecit, non instituit, OLIM NON SIC ERAT.

Talem sibi usurpat in membra influxum caput illud Pontificium, ut unire & dividere possit Episcopatus pro lubitu tit. *de translatione*. per totum. Ita novi omnino casus pluralitatis beneficiorum licitè sunt adjecti ad Concilium Tridentinum. Ubi Papæ dispensatio dicitur tutum facere in conscientia; additur tamen, in foro exteriori tutum aliquem esse; ut verò coram Deo etiam sit tutus, oportere causam etiam dispensationis justam esse. Mira res! dispensatio Pontificis

Vide Tol.
lib. 5. c. 81.

Pontificis iusta esse potest sine causâ iustâ, ita tamen, ut illa dispensatio me coram Deo non tutum præstet & securum. O L I M
NON SIC ERAT.

Denique, ut unicum his adijciam *ἀντεξοίας* Pontificalis exemplum, tam singularem sibi audeat influxum in membra Ecclesiæ tribuere, ut aliquid liceat Romæ, quod grande sit alibi locorum flagitium. Vide Toletum *lib. 5. c. 40. de societate officiorum.*

Sed de his plura jam audivimus, plura suo loco audituri, urget enim tempus, ut ad id faciam accessum, quod Actum hunc spectat propius. Quod igitur rogatus sum, ut potentiam faciam, præsentis Candidato, ad genua mea provoluto, conferendi gradum Doctoris, ei quò minus locum relinquam, causam omninò nullam invenio. Notus mihi est per benè multos annos, ut cuius parens Vir Reverendus & Cl. M. *Elias Andrea*, collega meus dilectus, Avus autem Vir Rever: & Præstantiss. *Thomas Andrea*, prædecessor meus fuit in officio meo primo Ecclesiastico. Notus ex disputationibus quas habuimus in Archiepiscopatu Magdeburgensi, ubi opponentem se præbuit strenuum. Utebatur enim stipendio Reverendissimi atq; Illustris. Principis ac Dn. Dn. CHRISTIANI WILHELMI Postulati Administratoris Archiepiscopatus Magdeburg. Marchionis, Brandeb: Ducis Borussiae &c. Domini mei Clementissimi.

Notus ex plurimis exercitijs publicis in Academijs vicinis, Jenensi, Juliâ, & hac ipsâ nostrâ cum laude habitis.

Notissimus denique ex laboribus Doctoralibus, quos prælegendo cursoriè, concionando, disputandoque publicè, rationem profectuum examine rigoroso reddendo, jam pridem exantlavit.

Igitur quâ fungor Cæsareâ & Electorali auctoritate, copiam tibi facio plenissimam, titulos & honores cum omnibus privilegijs Doctoris Theologi solenissimè ipsi jam conferendi. Deum supplicibus votis veneror, ut hæc nova, quæ ipsi accedit, auctoritas, in divini nominis gloriam, quæ omnium actionum nostrarum cynosura est, & Ecclesiæ emolumentum cedat.

Præstet Deus Ecclesiæ suæ halcyonia in his turbulentissimis fereq; conclamatis temporibus, dissipet gentes quæ bella volunt, & gratiæ suæ alis, quibus Academiam nostram & totum hunc Electoratum hæctenus fovit, impofterum quoque protegere misericorditer velit. Amen.

PRO:

PROMOTIO.

Impetratâ à Dignissimo Dn, Procancellario promovendi facultate, quo nomine Reverendæ ipsius Excellentia gratias agimus debitas, habebimusq; semper; Aliud nil restare video amplius, quam ut tibi, Reverende & CL. Domine Candidate, honores, à collegio nostro decretos, solito ritu & inauguratione tribuam consueta, modo prius solenni juramento (cujus formulam Minister Academiae distinctè recitabit) laudatissimæ huic Academiae secundum leges & statuta fueris obstrictus,

JURAMENTUM.

Et:

PROMOTIO.

Quod ergo Jehova optimè vertat, Ego Jacobus Martini SS. Theologiae Doctor & professor Publicus, publica voce Ecclesiae & collegij inprimis Theologici, te pietate, doctrina & virtute clarissimum virum, Licentiatum Laurentium Andreae, Pastorem & Superintendentem vigilantissimum, SS. Theologiae Doctorem creo, creatum renuncio, & ab omnibus hoc nomine habendum & agnoscendum esse proclamo, in nomine Sacrosanctæ ac Individuæ Trinitatis, Dei Patris, Filij & Spiritus Sancti. Et quemadmodum clementissimus Pater cœlestis renunciationem filij sui, summi Ecclesiae doctoris, voce sua de cœlo sonante: Hic est Filius meus dilectus *ὁ ὡς ἐνδέκασα*, visibiliterq; Spiritu Sancto in specie columbæ super ipsum descendente, præclarè ornavit, commendavit, & confirmavit ad Jordanem: ita ardentibus gemitibus æternum Deum oro, ut publicum hoc testimonium, tibi tributum, & renunciationem factam, invisibilibus donis, & arcana Spiritus Sancti virtute, veluti cœlestibus insignibus confirmet, & consignet, nosque omnes faciat vasa gratiæ, sanctificata in honorem suum, accommodata usibus Ecclesiae, rei que Christianæ publicæ, & ad opus omne bonum nobis ipsis & alijs salutare Amen.

D

Et

Et quia sapiens vetustas, ut talis renunciatio esset celebrior, addidit signa quædam, quæ voluit esse non inepros ludos, sed utiles commonefactiones consideranti, quid revera significant, in his quoque usitatum morem servabo.

I. CATHEDRA.

Primum autem trado TIBI jus tenendæ honestissimæ Cathedræ in Ecclesia & in Schola, hoc est, auctoritatem docendi. Et hac collocatione in hanc Cathedram docentium testificor, te non tibi ipsi rapuisse hunc honorem, nec ex illorum numero esse, de quibus Deus apud Prophetam gravissimè conqueritur, inquit: Currebant & non misi eos: sed legitimam vocationem ad hoc munus docendi expectasse.

II. LIBER.

Sed sine libro loco tam sacro committere te nequaquam debes. Tria enim hæc; Doctorem, Cathedram, Librum, semper conjuncta esse debere ipse nosti. Itaque librum hunc, Vetus & Novum Testamentum tibi aperio, ut sæpe cogites, tibi nequaquam concessum, ut gignas novum doctrinæ genus, sed vocem Legis & Evangelij, à Deo in Ecclesia certissimis testimonijs traditam & patefactam, fideliter pones & retineas: sicut scriptum est: Si quis aliud Evangelium docuerit, anathema sit, & quia necesse est rudioribus sermonem Dei interpretari, & membra doctrinæ ordine tradere; vult Deus hosce libros legi, quam lectionem tibi publicè commendo, juxta gravissimum Filij Dei præceptum *ἔρευνάτε τὰς γραφάς*: Et parænesin D. Pauli: *πρόσχε τῆ ἀναγνώσει.*

III. PILEUS.

Impono etiam Capiti tuo pileum, vetus insigne docentium in Ecclesia: sed hic pileus te commonefaciat promissionum divinarum de protectione & defensione piè docentium, quam Christus pollicetur Ministris suis, inquit: Vestri etiam capilli capitis omnes numerati sunt: Nolite ergo timere. Et alio in loco: Eritis quidem odio

odio omnibus, propter nomen meum: sed capillus de capite vestro non peribit.

IV. ANNULUS.

Addo & annulum aureum, non solum propter privilegia quædam politica, quæ etiam nostro huic ordini, & ijs, qui in ejus fastigium rite conscenderunt, legitimè sunt concessa: sed multò magis, ut memineris, te quasi accepta arrha obligari, ut fidelis sis in puritate doctrinæ constanter servandæ, & ut operam des in discendo & docendo, non ut hominum plausus captes, sed ut vera, Deo grata, & Ecclesiæ salutaria tradas ac defendas.

V. COMPLEXUS.

Hoc complexu te etiam admoneo, ut conjunctionem Ecclesiæ tuearis, nec ullis cupiditatibus pravis, quantum in te est, eam distrahi patiaris. Meritis aliorum, diligentiaq; non detrahas, nec utiles ab ijs præstitas operas extenues & abjicias. Nihil facias per contentionem, aut per inanem gloriam, sed ex modestia alios semper præstantiores existimes. Non ignoras *μαρτυροῦσθαι* nonnullorum ingenia, quibus præter cerebri sui inventa, nihil placet, tales averseris. Tu verò amicitiam & concordiam alas cum omnibus, sinceram Evangelij Doctrinam profitentibus, memor dulcissimi illius Psalmi: Ecce quàm bonum & quam jucundum fratres habitare in unum. Est sicut unguentum optimum super caput descendens, super barbam barbam Aaron, quod descendit super oram vestimenti ejus. Et sicut ros Hermon, qui descendit super montem Sion, quoniam mandavit illic Dominus benedictionem & viram usque in seculum. omnia denique Ecclesiæ membra vera & fraterna dilectione prosequaris. Deus enim est dilectio, & qui in dilectione manet, in Deo manet.

VI. GRATULATIO.

Postremo gratulor Ego TIBI publicè de hoc honore tuo & gradu honestissimo, & quia actiones nostras cunctas, nisi Deo fortunante felices esse non posse novimus, oro Deum æternum.

D 2

patrem

patrem Domini nostri Jesu Christi, conditorem visibilium & invisibilium, atque Ecclesiae suae conservatorem cum Filio & Spiritu Sancto, ut boni simus ministri, nutriti verbis fidei & doctrinae, & ut vitemus nos *ἀπὸ τῆς εἰσεως τῆς ψευδωνύμου γνώσεως*, exercentes nos ipsos ad pietatem, & attendentes nobis & doctrinae, utque hoc facientes, nos ipsos tandem salvemus, & eos, qui nos audiunt, Amen.

Tui jam officij pro more erit. Reverende & Clarissime Domine Doctor, ut specimen quoddam praeclarae tuae eruditionis edas, & tandem Deo immortalis, Serenissimae Saxoniae Electori, Domino nostro clementissimo, totiq; magnificae nobilissimae & ornatissimae concioni, quae honoris Tui causa huc confluit, debita observantia ac pietate gratias agas.



Questio à Puerō


JOHANNÉ FRIDERICO MARTINI
proposita.

Multis non effabor, quamobrem Ego adolescens jam prodeam, & in confessu doctissimorum virorum verba facere ausim. Me etenim non tantum excusabit mos in Academijs laudabiliter receptus, sed & discendi maxima cupiditas. Graviter autem haecenus disputatum est ab Excellentissimo Domino Decano, parente meo carissimo, & evidentibus Sacrae Scripturae monstratum momentis, Dominum nostrum JESUM CHRISTUM, Ecclesiae quippe verae verum caput, ita sibi & suae Ecclesiae sufficere, ut planè non opus sit ullo aecessorio & vicario. Fateor etiam, me planè in eandem concessurum sententiam, ambabusque daturum manibus, quod in hac controversia eruditè disputant Lutherani, nisi me sola terreret evidentia dicti Christi ad Petrum Matthaei, 16. inquentis: Tu es Petrus, & super hanc petram, aedificabo Ecclesiam meam &c. Jam notum, Jesuitas quatuor niti hypothefibus 1. dicunt Christum Apostolo Petro universalem Episcopatum promississe. 2. promissum tradidisse. 3. traditum à Petro Apostolo Romae

Romæ esse usurpatum. 4. Iſtam uſurpationem per Pontifices Romanos hodiernos nempe Petri ſucceſſores continuari. Primum membrum ex dicto iſto Chriſti Matth. 16. probant. Et ſi hoc verum, uti veriſſimum eſſe dicunt, omnia reliqua etiam membra facili operâ obtinebunt. Equidem ſcio, quid Whittakerus in primis & alij eruditè hîc moveant, quaſi Suitæ in Grammatica principia impingant, & voculam (hanc) non ad Petrum, ſed Petram referendam eſſe adſerunt: Interim me quoque non fugit, quod Jeſuitæ id negent, dicentes: Chriſtum Syriacè loquutum eſſe, ubi Petrus linguâ Syriacâ Cephas dicatur, quemadmodum videre eſt ex Johanne, cap. 11. & quæ ſunt hujus generis alia. Dixit ergo Chriſtus in ſuâ linguâ: Tu es Cephas, & ſuper hoc cepha: vel latinè: Tu es petra, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam. Ex quo ſequitur, illud (Hanc) non poſſe referri niſi ad Petrum, qui eo loco vocatus eſt Petra. Bellarminus libro 1. de Romano Pontific. capite 10. & eum hoc Gretſerus Tomo ſecundo deſenſionis Bellarmini pag. 521. Cum ergo ſplendidè hæc omnia dicantur, fermè dixerim fingantur, hæcque altioris ſint indaginis, quæ ætatem meam longè ſuperent, utique ad Tuam Reverendam dignitatem, Clariffime Domine Laurenti Andreae, Doctor renunciate, me converto, & initio tibi honores hos, quos & pietas & eruditio tua meretur, ex animo gratulor, & toto pectore Deum oro, ut deinceps quoque ſanctis tuis ſtudijs, laboribusque ac pijs meditationibus ex alto benedicat, Spiritu ſuo Sancto porro te regat, bonumq; hoc opus, quod in te inchoavit, continuet, conſummetque in divini ſui nominis gloriam, Eccleſiæ incrementum, propriumq; emolumentum. Deinde, cum, ut dixi, mota quæſtio puerilem meum captum longè ſuperet, illam ad Te Clariffime Domine Doctor devolve, & cum ex conſuetudine Academiae quæſtionem aliquam decidere debeas, Te obnixè rogo, ut hanc ipſam quæſtionem paulo altius repetere, quidque ex dicto Chriſti Matth. 16. probari poſſit, quod minus; contra Bellarminum, ejuſque deſenſorem acerrimum, Gretſerum, monſtrare velis. Quo officio ſingulos & univerſos in nobiliſſimo hoc auditorio ad benevolentiam tibi devincies, & me ad perpetuam Tui obſervantiam, reverentiamque obligabis.

D 3

RE-



RESPONSIO

Doctōris LAURENTII ANDREÆ
Gretsero imprimis opposita.

Certum est, Rector Magnifice, Vos Patres Academici Conscripti Reverendi adm. dūm, Consultissimi, Prudentissimi, Amplissimi, Excellentissimi Dnn. Professores, Præceptores, Fautores, Amici ac Promotores suspiciendi & honorandi, tuque Nobilissima, Humanissima & Doctissima studiosorum Corona, certum est, inquam, non exiguam nobis molestiam à Jesuitis, super hoc dicto Christi *Matthæi c. 16. Tu es Petrus, & super hanc petram, ædificabo Ecclesiam meam &c.* Putant namque Suitæ, sese ex eodem nimium quantum stabilire posse Petri primatum, ejusque successorum hodiernorum Pontificum. Ut ergo pateat, quid salvator noster, & de quo loquatur in hoc dicto, quidque exinde colligi possit; brevem quandam dicti hujus analysin prius instituiam. postea verò ad idem à Jesuitarum, *imprimis autem Gretseri Quæstionis* breviter vindicabo, divinâ gratiâ adjutus. Quod dum aggredior occasione quæstionis tuæ, Optimæ spei puer, agite Auditores Magnifici, Reverendi, Clarissimi, Excellentissimi, Humanissimi ad exiguum tempus vacuas mihi aurium benevolarum ædes facite.

Prælibandum *in genere* caput Matth. 16. quinq; potissimum partibus absolvi. Prima agit de disputatione inter Christum & Phariseos Sadducæosq; gravissimè habita à versu primo usque ad quintum. *Secunda* describit colloquium Christi cum discipulis, de fermento Phariseorum & Sadducæorum cavendo à versu 5. usque ad 13. *In parte tertia*, ab eodem Christo discipulis suis movetur quæstio de sua persona à versu 13. usque ad 21. *Quarta* continet vaticinium de imminente passione, morte & resurrectione Christi à versu 21 ad 24. *Quinta* & ultimam partem claudit concio, itidem Christi de calamitatibus hujus mundi patienter sufferendis, usque ad finem.

Hiscæ

Hiscæ jam præsuppositis, & reliquis partibus quatuor, seu alienis, à nostro scopo remotis, jam in specie ad tertiam partem devenimus. Tertia hæc pars (uti dictum) continet quæstionem à Christo suis discipulis propositam, de sua personâ. Hanc autem sic instituit, ut primò in aliorum opiniones, postmodum in ipsorum confessionem propriam, circa hoc arduum fidei negotium inquireret. Versu enim decimo tertio inquit: Quem me dicunt homines esse, filium hominis? At illi dixerunt (v. 14.) alij Johannem Baptistam, alij Heliam; alij verò Jeremiam, aut unum ex Prophetis. Cum verò hoc Apostolorum commune responsum, quod ex opinione aliorum referebant, veritatem planè everteret, demum ad ipsos Apostolos devenit. Dicit namque illis Christus v. 15. Vos autem, quem me esse dicitis? Respondens Simon Petrus v. 16. nomine omnium discipulorum, dixit: Tu es Christus filius Dei vivi. Editam hanc Petri confessionem de persona Christi, probat Dominus non saltem, eamque non ex dictamine carnis profectam, sed divinitus patefactam, asserit; sed & Petrum ob insignem hanc Messiaë agnitionem beatum prædicat. Quin imò, se confessioni huic Petri, de salutis petra filio nempe Dei vivi, tanquam immoto fundamento, Ecclesiam suam superstruendam, serio inculcat v. v. 17. & 18. Verba se ita habent: Respondens autem Jesus dixit ei. Beatus es Simon Bar-Jona quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed pater meus qui in cœlis est. Et ego dico tibi, quia Tu es Petrus: & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam &c. Analyti jam præmissâ, quæritur. *An hoc dictum Christi primatus Petri ejusq; successorum Pontificum hodiernorum adstipuletur?* Pontificij affirmant, negamus nos. Videndum ergò quomodo id ab eorum strophis liberari possit? *Quæstio proposita bimembris est*, In priori quæritur: *an ex hoc dicto primatus Petri stabiliri possit?* in posteriori: *An Pontifices Romani sint Petri successores, eodemque tum Petro privilegio donentur?* Ex utroque seorsim & distinctè, cum Deo, nos extricabimus. In quæstione prima, varia præmittere solent Jesuitæ, ut Antichristo Romano, auctoritatem concilient, antequam pedem figant. Pugnant enim primò in genere, Monarchicum regimen omnium optimum esse, telis non ex Spiritus Sancti, sed hominum, politicorum pharetrâ petitis. Hinc secundo inferunt, Ecclesiam

Ecclesiae gubernationem uni homini & pastori summo concedendum esse, qui sit Romanus pontifex, Petri quippe successor. Tertio tandem in arenam descendunt, & ex hoc dicto Christi, primatui Petri patrocinium quaerunt: quam bene autem, videbimus. Potissimum vero hac vice nobis, uti diximus, res erit cum Iesuita Gretsero, acerrimo Bellarmini defensore, famigerabili Papae assentatore, homine loquacissimo, & ferme dixerim, nugatore mendacissimo. *Iste Tom. 2. defens. sua Bellarm. edit. Ingolstadt, cap. 10. pag. m. quingent. duodecima* orditur his verbis: *Postquam (inquit) antegressus capitibus demonstraverat Bellarminus Ecclesiasticum regimen praecipue esse monarchicum, aptissimo ordine descendit ad illam questionem: fuerit ne apostolus Petrus Ecclesiae totius caput & princeps loco Christi? Affirmantem partem doctissime & copiosissime explicat & tuetur primum ex illo Christi ad Petrum dicto Matth. 16. Tu es Petrus & super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam &c. Vbi singula ad rem pertinentia hujus promissi momenta, accuratissime & optima methodo expendit. Quam accuratone copia, varietate & insigni argumentorum dispositione commoti sectarij, in rabiem propemodum vertuntur, praesertim Danaus & Sutevius, quorum ille in totum hoc caput tot ferme convitia & mendacia eructavit, quot verba. Haec tunc Gretserus. Respondeo, primo dicit Suita cum Bellarmino (mulus enim mulum scabit) Ecclesiasticum regimen praecipue esse monarchicum: Ast quis non videt, Gretserum cum Bellarmino vagari extra cleas? non enim hic quaeritur: quodnam regimen in Politia, Politici optimum statuatur? Sed quaeritur: an Ecclesiae administratio, omnium confessu optima, ad limites regiminis politici sit examinanda? Affirmant id quidem Suitae, sed dicimus nos *μεγαλίαν* esse *ἀτημια*, & ex scriptura S. id probari petimus. Miramur autem tantos Philosophos & Logicos (quales se olim jaectabant in colloquio Ratisbonensi, cum ad nauseam usque ad formam provocabant) tantam, *ἀπειθευσίαν* committere posse. Aequè enim ac digitos suos noverrunt locum Philosophi 1. poster. Anal. c. 7. *ὅτι ἀρα ἐπὶ ἐξ ἄλλου γένους μεταβάλλει δειξαι* id est, non licet demonstrando de genere in genus transire. Ergo à regimine politico ad Ecclesiasticum argumentari velle & *ἀφιλόσοφον* & *ἀδειλογον*. Deinde dicit Gretserus: *Bellarminum doctissime & copiosissime primatum Petri ex dicto Matth. 16. explicare & tueri.* Prius cum ait, Bellarminum, Petri primatum doctissime*

ex hoc

ex hoc dicto tueri, tanquam falsissimum, uti ex sequentibus patebit, nego: Posterius; Bellarminum nempe copiosissimum esse hac in quaestione, concedo. Hoc enim in more habent Jesuitæ, ut causæ suæ diffusi, Rhetores imitari soleant, qui cum pondere destituantur argumentorum, tamen numero obtinere volunt, quod volunt. Ad scommata quæ evomit in Sutl. & Dan. eorum respondeant complicés. Jam Gretserus redit ad suum Antagonistam; Sutlivium: *Ait, inquit, omnem vim argumentationis Bellarminianæ fundatam esse super metaphoras: At symbolicam Theologiam non esse argumentativam, testibus scholasticis, Quocirca ex hoc loco Matthæi non posse evinci, Petro totius Ecclesiæ monarchiam donatam esse.* Postmodum quoque carpit Witthakerum, idem urgentem argumentum. Utrique verò sic respondet: *Quando (inquit) argumentum extruimus ex aliquo scripturarum loco, metaphoris constanti, non argumentum ex sensu mystico Symbolico, seu Spirituali, sed ex sensu literalis. Itaq; licet Matth. 16. Voces Petre, edificandi, clavium, solvendi & ligandi, metaphoricè usurpentur, sensum tamen literalem non Spiritualem efficiunt.* Hucusq; Gretserus. Ex his, quis est qui non videt, quam nihil planè responderit Gretserus vel Sutlivio vel Witthakero? Dixerunt enim iidem *Symbolicam Theologiam non esse argumentativam, & rectè dixerant. Omnes enim articuli fidei (juxta Canonem Theologicum) in scripturâ proponuntur verbis clavis & perspicuis.* Jā cum primatū Petri pro articulo fidei nobis obtrudere volunt Pontificij, æquum omninò esset ut non ad metaphorica dilaberentur. Obstrepit Gretserus, *se non sensum mysticum sed literalem attendere.* Quæ verò hæc responsio? quærit Sutlivio: an ex loco metaphorico certi quid (quod alibi non invenitur) seu, ut clarius dicam, novus articulus fidei extrui possit? Rectè negat id ex ratione datâ & loquitur de re ipsa. Respondet Gretserus sed ineptè ad rei modum, multiplicem fingendo sensum, à se & suis complicibus nondum evictum. Solidè enim hæctenus nostri unicum sensum, contra istum pontificiorum fictum multiplicem, defenderunt, quem vel propria vel metaphorica verba pro se ferre demonstrant. Eat jam ergò Suita, & de meliori responso cogitet. Quod & intellectum volumus de reliquis Sutlivij arietibus, quos ex similitudine fundamenti & clavium contra Petri primatum intorquet, à Gretsero quidem tactis etiam, ast non com-

E

minu-

minutis & fractis. Efficta enim distinctio est Bellarmini, ejusque defensoris Gretseri, quam distinguere solent inter fundamentum *primarium & secundarium*, quemadmodum eruditè id probat desideratissimus meus præceptor, imò alter parens, Dn. D. Meisnerus parte 2. sobr. philos. sect. 5. q. 4. pag. 628. magnum illud & incomparabile Theologorum Lutheranorum lamen, per mortem eheu sublatum, sed splendens adhuc in cœlis inter cœlites & in terris in scriptis. Ait Sutlivius, inquit porro Gretserus, Christum non dicere se super Petrum, sed super petram edificaturam Ecclesiam suam Pergit: annon (inquit) probat Bellarminus, eundem dici Petrum & petram? cur non refutasti, si probationes displicebant? Obstrepit: Ad rem non facit, quod syriacè Cephæ petrum & petram significant, hanc enim ambiguitatem sustulit Spiritus Sanctus, qui super petram dicit Ecclesiam fundatam esse, & non super Petrum: & petram & petrum disertè distinguit. Quid si interpret Græcus ex hebræo, hoc est, syriaco (isto enim sermone non improbabiler credunt nonnulli Evangelium à S. Mattheo conscriptum fuisse) non sustulit, sed fecit, si qua est ambiguitatem? nam syriacè dixit Christus, tu es Cephæ, & super hunc Cephæm edificabo Ecclesiam, utrobique eadē voculā positā. Cum suas ob causas Græcus interpret primò loco posuerit masculinum, secundo fœmininum vocabulum, eodem tamen penitus sensu, ut demonstrat Bellarminus. Huc usque Gretserus. Respondeo primò, rectè distinguimus cum Sutlivio, imò & nostris Theologis omnibus ex S. S. inter Petrum & petram, inter proprium nomen & appellativum, & planè nullam videmus rationem quā vel Bellarminus, vel Gretserus hæc vocabula miscere & confundere possit. Deinde falsum est Cephæm in Syriacā linguā indiscretè significare & Petrum & Petram, hoc est, esse propriam & appellativum. Genere enim distinguuntur: Et vocabulo Petri adjicitur masculinum ⲡⲓ & non fœmininum ⲡⲓⲛ. Sic jacent verba: Dant hu Cephæ, tu es ille Petrus. At si vera esset Bellarmini & Gretseri sententia, usurpandum fuisset nomen fœmininum, & dicendum: dantl Cephæ, tu es illa Petra. Tertio concedimus quidem Christum syriaco idiomate esse usum, sed negamus N. T. ab Apostolis syriaco idiomate traditum, sed linguā græcā. Ad græcum igitur exemplar tanquam ad infallibilem fontem provocamus. Quam sententiam nostram maximè firmat ipsa Confessio Bellarmini, quam veritas ipsi extorsit, quando de syriacā versione l. 2. de verb. Dei cap. 4. col. 96, ita scribit: Ego (inquit) quidem

quidem mihi certè persuadec, non posse ejus auctoritatem tantam esse, ut cum editione græcâ aut latinâ meritiò comparari possit. Quartò pro nobis facit, quod fatetur Gretserus, interpretem Græcum primo loco masculinum, secundò fœmininum ponere: quod autem addit eodem planè sensu, idque demonstrasse Bellarminum, fallit & fallitur, Suiticis delinimentis corruptus & correptus. Cætera nullius sunt momenti, quæ ad Sutlivij argumenta respondet, ideoque ista non tangimus, sed statim ad contradictionem properamus, quam Gretsero ad oculum monstrat Sutlivius, quando inquit: Apostolus disertè dicit, non posse aliud fundamentum poni, quam Christum 1. Cor. 3. Sed posse aliud fundamentum poni quàm Christum, sunt contradictoria. Ergò. Ad hanc objectionem, quid Gretserus respondeat videbimus, & nostram post censuram addemus. *Quis (inquit) vel ex cælo angelus ab hac contradictione nos eripiet? nisi forsitan succurrat ipse Apostolus, qui fideles, h. e. Ecclesiam, supra fundamentum Apostolorum & Prophetarum, adificatos affirmat Eph. 2. Et tamen fundamentum aliud nemo ponere potest, præter id quod positum est, quod est Christus Iesus. Si ergò Apostolus sine ulla contradictione potuit alia Ecclesiæ fundamenta ponere, præter illud 1. Cor. 3. quia hic de primario, alibi autem de secundarijs fundamentis locutus est, cur in Christum nos iniuriosi effemus, si præter primarium illud fundamentum, quod est Christus, agnosceremus & veneremur aliud, quod respectu quidè Christi est secundarium, comparatione autem aliorum minus principalium, primarium. Hæc fuit responsio Gretseri. Quamvis autem sat hic fuerit verbosus in diluendâ contradictione à Sutlivio monstratâ, satque spinosus, nihilo tamen minus firma perstitit contradictio. Hoc ut eò melius monitrem, mentem Sutlivij in formam syllogisticam redigam: Syllogismus primus talis esto: Quodcunq; S. Scriptura docet, est verum. At scriptura docet omne fundamentum Ecclesiæ positum esse tantum Christum. Ergò est verum. Major est extra controversiam, Minor est Pauli 1. ad Cor. 3. v. ii. ubi imprimis exceptivam urgeo: ἄλλεν εἰς θεὸν τὸν κείμενον, i. e. fundamentum aliud nemo ponere potest præter Christum. Si aliud nemo ponere potest. E. tantum Christus omne fundamentum. Alter syllogismus Esavitæ priori huic nostro contradictoriè oppositus, talis erit, nolit, velit: Quodcunque Sacra Scriptura docet, est verum. At scriptura docet, quoddam fundamentum*

mentum Ecclesie positum non esse Christum. E. est verum. Minorem probat ex dicto Christi Matth. 16. Tu es Petrus &c. Ast quis non videt, manifestissimam hic esse contradictionem, inter has utriusque syllogismi enumerationes, alteram universalem affirmantem, alteram particularem negantem. Judicemus autem, quomodo hunc effugere velit Suita. Dicit se ab ipso Apostolo liberari ex hac contradictione, cum ad Ephes. 2. fateatur, Apostolos super fundamentum Apostolorum superstructos. Egregia sane responsio Gretseri, tanto nugatore digna. Quasi vero non videret quis, diversas plane esse enunciationes, quando dico; esse fundamentum, & superstructos esse super fundamentum. Illa tantum de Christo vera; hæc de omnibus fidelibus, ob doctrinam & confessionem communem. E. adhuc manet contradictio à Gretsero nondum amota, quod erat demonstrandum. Equidem scio quosdam inter nostros etiam Theologos distinctione hac uti, & distinguere inter fundamentum Ecclesie principale, quod est Christus; & ministeriale quod Apostolos esse dicunt ex Apocalypsis cap. 21. Ast puto ego cum alijs *aversu* tamen *regrejuat*, fortius premi posse ad versarios, si distinctionem hanc plane evitemus, & dicamus, Apostolos improprie & metaphoricè fundamentum vocari, quia fundamentum jecerunt. Eò magis, cum Apostoli in allegato loco non nominentur fundamenta, sed dicatur tantum: duodecim Ecclesie fundamentis inscripta esse duodecim Apostolorum nomina. Et hæc satisfacere possunt omnibus, quæ Gretserus paulò post subjungit in sequentibus, pro effecto suo fundamento primario & secundario. Redit Gretserus ad aliud argumentum, nempe Danaei, quod repetit his verbis: Fœmininum (inquit Danaeus) non potest convenire masculo. Petra est fœmininum, & Petrus Masculinum; Ergo Petra non potest convenire masculo Petro. Ad hoc respondet Suita his verbis: *Quò* (inquit) *nos vertemus, ut stulticie hujus acumen declinemus, quòd non ab simile huic: Fœmininum non potest convenire masculo, Manus est fœmininum, Danaeus masculinum, Ergo manus non potest convenire masculo Danaeo. Neutrum non potest convenire masculo, Brachium est neutrum, Danaeus masculinum E. brachium non potest convenire masculo Danaeo.* Hæc Gretserus. Respondeo Gretserum hic nugari non disputare, sed agere sophistam. Primò enim quod Danaus

natus intelligit de genere masculino & foeminino in suo exemplo
 proposito, materialiter, hoc sophista formaliter accipit. Postea di-
 versa planè adfert exempla; petra namq; est appellativum & foemi-
 ninum, hinc descendit Petrus nomen proprium. Quomodo jam sua
 exempla applicabit Esavita, à manu & brachio sumta? Aliud dabi-
 mus nos exemplum, pro mente Danæi; carpat si velit: argumentum
 tale est: Foemininum non potest convenire masculo, Christiana
 est foemininum, & Christianus est masculinum, Ergo Christiana non
 potest cōvenire masculo Christiano. Jam se vertit Gretserus ad Juni-
 um quē carpit, quod per hanc petrā, non petrum sed petri confessio-
 nem intelligere malit. Veterem etiam recoquit cramben, asserens:
Petrum & petram ex mente veteris syriaca unum esse & idem, & voculam
(hanc) aliò non posse referri, quàm ad Christum, quia Christus syriacè loquens
dixit: Tu es Cepha, & super hoc Cepha, seu super hanc Cephā &c. quasi diceret:
Tu es Petra, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam. Rem illustrat
 exemplo: *Christus (inquit) absolute loquendo est nomen appellativum, si-*
gnificat enim unctum. hoc appellativum factum est proprium quia, ad Redemp-
torem nostrum translatum est. si quis jam dicat: Tu es Christus & super hunc
Christum jactabo curas meas: an non utrobiq; vocabulum Christi pro nomine
proprio usurpat? Eadem est ratio vocabuli Cepha in nostro proposito &c. Post-
 modum redit ad Witthakerum & argumenta decem examinat,
 quā hanc opinionem ceu falsam & detortam infringere, frustra ta-
 men, laborat. Nobis jam respondendum erit Gretsero. Primò in
 genere respondeo (1.) Petrus se non nominat petram, sed Christum
 pro unicā petrā habet Act. 4. (2.) Reclamant Paulus qui se non inferi-
 orem statuit summis Apostolis 2. Cor. 11. Ergo nec Petro (3.) Si Pe-
 trus fuisset Ecclesiæ princeps, Paulus ei contradicere non fuisset au-
 sus Gal. 2. (4.) Si Petrus fuisset Petra, aut fundamentum, quomodo
 illud in eundem quadraret, quod legitur Matth. 16. paulò post, quan-
 do Christus illi dicit; abi post me satana; item cum Christum ab-
 negavit Matth. 26. Invieta igitur consequentia sequitur, petro non
 propter personam, sed propter doctrinam & confessionem ita dici:
 Tu es Petrus & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam:
 Quorum verborum hic sensus est: Certè tu Petrus es, mi Apostole,
 sicut te etiam ante nominavi, & tua confessio rupes, petra seu fun-
 damentum inconcussum est, cui totius Ecclesiæ salus innititur, ne-

quoque salvabitur nisi me Joh. 17. itidem agnoscat, & pro Christo filio Dei vivi habeat. Hunc sensum ut evincamus, jam directè & in specie ad argumentum Gretseri respondeo, quod & Bellarmini est. Argumentum est tale: *Pronomen (hanc) debet referri ad aliquod proximum, non ad remotum; proximè autem dictum fuerat non de Christo sed de Petro, Tu es Cephas, id est, petra, Ergo.* Petimus in hoc syllogismo probationem minoris, Petrus enim est nominatus in genere masculino, non petra, in genere fœminino, idque (1.) juxta textum Græcum: *ὁ ἐστὶν πέτρος*, non *ὁ ἐστὶν πέτρα* (2.) juxta syriacum, ut audivimus supra. Syrus enim sic habet: al hodo Cepho i. e. super hac petra. Et quod fit more orientalium linguarum ex superfluo additur *τὴν* fœmininum, ad verbum ædificandi, ut apparet non denotari petrum, sed petram, quasi dicat, ædificabo eam petram, scil. confessionis, non eum Petrum, vel super hac petra ædificabo eam confessionem, non Petro: Respiciunt enim gemina & repetita pronomina demonstrativa appellativum, non proprium. (3.) juxta Latinum etiam ut notum est. Antecessor meus Dn. D. Wolffrum, Superintendens Cygneus p. m. idem monstrare laborat ex textu Arabico, in periculis Arabicis, quæ mecum, in vivis cum erat, communicaverat, & meo judicio, licet exiguo, ea commiserat. Ita enim legit Arabs: *Wa ali hadihitfad, rati & super hanc petram, quod Jesuitas potenter etiam posset refellere, præsertim cum nomen generis fœminini præmittatur hadihi, si modò me quis certiolem reddere potis esset de linguæ ejus ἀὐθεντία, quemadmodum etiam id semper tum eidem objeci.* Concludimus ergò, quia pronomen (hanc) à Petro, genere distat, non potest ad illum referri, sed necesse est, ut respiciat aliud: cum autem aliud nihil præcesserit, quam Confessio Petri, de Christo, Dei vivi filio, idcirco eam ipsam Confessionem, digito quasi indice, monstrat. Vocabulum namque (hunc) hoc loco relativum non est, ut proximè antecedens nomen repetat. Si enim relativum esset, necessariò genere cum illo genere conveniret juxta linguarum omnium proprietatem, omniumque Grammaticorum unanimum consensum, qui dicunt: Relativum cum antecedente necessariò genere & numero convenire, uti pluribus eruditè & prolixè monstrat Dn. D. Meisnerus p. m. 2. part. Sobr. Philos. Sect. 1. q. 4. Et ante hunc, insignis

in signis quoque ille olim Theologus Gesnerus, jam ἐν ἀγίοις in peculiari de hoc dicto Christi Matth 16. disputatione, thesibus. 10. & 68. anno 1604. hic Wittebergæ habitâ & typis impressâ, sanè dignâ omnium eruditorum lectione. Quod ad exemplum attinet, de vocabulo Christi prolatum, alienum est. Concedimus enim libenter in T.V. & summos sacerdotes & Reges ex mandato Dei (Exod. 30.) unctos fuisse, hancque ob causam unctos Domini vocatos; Ast verò non memini, unquam me legere apud probatum quendam Theologum, qui nomine isto proprio Christus fuerit vocatus. Ideoque falsum est, nomen Christi interdum appellativum esse, interdum proprium. Isti enim fuerunt Typus, Christus antitypus; isti corporaliter & mediatè uncti, hic spiritualiter & immediatè, oleo lætitiæ, Spiritu nempe Sancto, ultra consortes, (Psal. 45.) Fingere ergò non est probare, & allegare inconueniens non est solvere. Claudat hoc caput decimum Gretserus *testimonijs Patrum*, ad quæ hoc saltem hac vice responsum volumus: E. Patribus non articulorum fidei peti constituendorum principia peti possunt ac debent: sed illorum ex principijs scripturæ jam constitutorum saltem suffragia. Specialem responsum, ad dicta Patrum, reservabimus in aliud tempus & locum. Interim consulatur Witthakerus Tom. 2. oper. suorum in fol. edit. Genev. q 2 pag, m. 553. & seqq.

Rectè postmodum fundamenta extruit Gretserus quæstioni secundæ in cap. XI. loco all. probaturus. *Petri successores esse Romanos pontifices*; quæ quæstionem pro suo etiam more mentiendiq; libidine latè deducit cap. XII. & seqq. Verum quia præter spem, quæstio prior sub manibus excrevit, nolumus Magnificorum, Reverendorum, & Excellentissimorum Dnn. auditorum benvolentiam & facilitate in auscultando abuti, sed breves saltem lineas quæstionis secundæ ducemus, carminationem uberiolem aliò itidem reservaturi. Quæritur igitur secundò, ut in limine audivimus: *An Pontifices Romani sint Petri successores, & quod de Petro dicitur, de iisdem etiam dicatur?* Affirmant hoc idem Esavitæ, nos negamus. Illorum ergo fundamenta redigamus in formam syllogisticam: nolint enim velint. videntur sic argumentari: *Quicquid dicitur de Petro, id ad pontificem Romanum pertinet. Esse fundamentum Ecclesiæ Catholica dicitur de Petro. E. esse funda-*

*fundamentum Ecclesie Catholicae ad Pontificem Romanum pertinet. Hæc est summa quæstionis secundæ. Videte Doctissimi Dn. Auditores, probare volunt Pontificij, Romanum Pontificem esse fundamentum Ecclesie Catholicae. Id ut efficiant, Petrum assumunt tanquam μέσος suæ ratiocinationis. Connexum est hujusmodi: si Petrus est fundamentum Ecclesie Catholicae, Pontifex Romanus etiam est Ecclesie fundamentum. Atqui est. Ergo. Ut figmentum Suiticum melius patefcat, hypothetium syllogismum in Categoricalum immutavi, quem posui, aliter enim colligere non poterunt. Jam si eundem, examinemus, videmus majorem ex dissimilibus & contrarijs esse contortam. Minor etiam falsissima est: pugnat enim cum S. Scripturâ, cum analogiâ fidei, & cum quorumq; veterum interpretatione. Itaque quam nihil valeat discursus Esaviticus, satis cuique potest esse manifestum: Major enim respicit ad ipsam personam Petri, aut ad ejus munus & ministerium refertur. Quæ peculiaria sunt ipsi personæ Petri, si quis velit ad Pontificem Romanum transferre, nã ille amens erit! Petrus enim ut fuit in amore promptissimus (ut inquit Augustinus) ita fuit in primo conflictu infirmissimus, quemadmodum ex ejus negatione & lapsu nimis patuit. Quæ verò ad ministerium Petri pertinent, extra ipsius ministerij fines extendi non debent. Ex quo fit, ut si quid de Petro tanquam Apostolo dicatur, id de reliquis Apostolis, (quos Petrus οὐμπεροσ ὑτέρος appellavit) quoque dictum intelligi debeat. Nihil ergò videmus, quod Romanum Pontificem juvare possit. Petri enim personam nemo dicere audeat: esse autem Apostolum, probare potest nemo. Quare confugere solent Jesuitæ ad *successionem, aut vicariam ordinationem*, cujus volunt eam esse vim, ut ad Romanum Pontificem ea transferant, quæ Petri propria sunt, Sed philosophi vocant hoc petere principium, si pro confesso sumatur, quod adhuc in quæstione est. Ne autem videantur probatione deficere, ad hunc tandem redeunt locum. Matthæi, & proferunt hæc verba Christi: super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam. Ita fit, ut circulum in suis argumentationibus perpetuò committant, quod vitium non formæ sed materiæ est, de quo Aristot. 1. post. cont. 24. Accidit ijs, inquit, qui afferunt circulo demonstrationem esse, non solum quod nunc dictum est*

est

est (puta ut eandem propositionem respectu ejusdem notio-
& ignotioem, priorem & posteriorem faciant) sed etiam, ut nihil a-
liud dicatur, quam hoc esse, si hoc sit; sive ut paulò post loquitur:
ἔδεν ἔπειρον λέγειν, πλὴν ὅτι Ἐ. Α. ὄντ' ὅτι Α. εἶναι. Nempe cum
circulo coincidit petitio principij & probatio ejusdem per idem:
quippe, ut patet, à primo ultimum, est processus ab eodem ad idem.
Quod Scriptura docet, est verum, quia quod Pontifex Romanus
docet, est verum; Et quod pontifex docet, est verum, quia quod Scri-
ptura docet est verum. Vitium idem committitur in probandâ mi-
nore. Cum enim postulamus, ut probent scripturam docere, de
Petro dici, fundamentum esse Catholicæ Ecclesiæ: Ad hoc efficien-
dum assumunt id, quod est in controversiâ, & de quo, instituta quæ-
stio. Hoc an sit ex ponere, ac non potius rebus sacris illudere Præ-
cellentissimi & Doctissimi Dn. auditores facilè indicabunt. Nihil
autem mirum est, Jesuitas circuli vitium in hac controver-
sia committere, cum mos iste apud istos ita frequens sit, ut in
ipso Theologiæ principio etiam ita labantur & impingant, quemad-
modum Dn. D. Calixtus Professor Helmstadiensis in peculiari dis-
putatione de principio Theologico argutè id illis objecit & mon-
stravit pluribus. Hac vice tantum, quantum satis.

Expeditis jam his de propositâ quæstione, gratiæ sunt agenda ijs,
quorum promotione vel autoritate, vel favore & præsentia sumus
adjuti. Primas tenet inter omnes meritò Deus ter Opt. Max. Cui
quodcunque habeo, sive creationem spectem, sive redemptionem,
sanctificationem, felicem in studijs progressum, debeo omnia. Be-
nedicam ergo tibi ò pater cœlestis in seculorum secula: tua laus
habitabit in corde & ore meo sine fine nunquam desitura. Gratias
postmodum ago humilimas Serenissimo & Potentissimo Principi
ac Domino Dn. JOHANNI GEORGIO, Saxonix, Julix, Clivix
& Montium Duci, Sacri Romani Imperij Archimarschallo & Ele-
ctori, Landgravio Thuringix, Marchioni Misnix, Burggravio Mag-
deburgensi, Comiti de Marcâ & Ravensberg, Dno. in Ravenstein
&c. Domino nostro Clementissimo, cum ob insignem clementi-
am & gratiam, quâ me hactenus amplexus est immeritum; tum vel
maximè ob insignem erga Ecclesiam pressam, & Academica studia
curam. Precamur etiam Deum, ut Illustrissimæ Celsitudinis peregrè

F

jam



jam agentis consilia ad nominis sui gloriam & Ecclesiae salutem dirigere velit. Magnas quoque & submissas ago gratias Illustrissimae ac Celsissimae Principi ac Dominae, Dnae Magdalenae, Principissae Anhaltinae, Servestae & Berenburgi, Comitissae Oldenburgensi Dominae in Jevern & Kniphausen, Dominae meae Clementissimae, & ob singularem erga me, ejus Celsitudinis indignum olim concionatorem aulicum, gratiam, & ob legationem etiam splendidam, quam meum hunc actum gratiosissime condecorare voluit. Deus ter opt. Max. in vera fide & religione illius animum confirmet, & beneficia tot & tanta aeternis bonis remuneret. Gratias etiam habeo singulares Amplissimo ac Spectatissimo Senatu Zuiccaviensi, tum ob insignem in hoc actu promovendo favorem, tum etiam imprimis ob benevolentiam, quam mihi per Reverendum Dn. Legatum, probavit. Deus ipsos servet & clementissime foveat, ut nunquam illis vel in hac vel in altera vita deesse quicquam possit. Specialiter autem ipsis etiam Dominis Legatis, Viro Amplis. Consultis. atque Praecellentis. Dn. Conrado Carpzovio J. U. Doctore eximio, Professore hic Codicis, ut & Curiae Provincialis, Consistorij, & Dicasterij Adessori dignissimo, Dn. Fautori & amico singulariter suspicendo; Viro item Reverendo, humanissimo atque doctissimo Dn. M. Eusebio Bohemo, Diacono Ecclesiae Wittebergensis solertissimo, fautori & fratri meo in Christo plurimum dilecto & colendo, habeo gratias magnas. Quemadmodum nec minores debeo Viris admodum Reverendis, Magnificis, Nobilissimis, Strenuis, Consultissimis, Excellentissimis, Clarissimis, Prudentissimis & Spectatissimis, Dominis Professoribus & Doctoribus omnium facultatum & ordinum Academiae hujus laudatissimis, Dominis, Proparenti, Affinibus, & Hospitibus omnibus & universis; Senatu Wittebergensi Amplissimo, ut & reliquis Spectatoribus Studiosis Nobilissimis, Humanissimis, Literatissimis, tum pro insigni decore & promotione, tum pro benevola auscultatione, tum denique pro gratulabundi cordis sinceri adfectu & testificatione. Omnibus & singulis vicissim officia & studia mea cum perpetua observantia & memori gratitudine conjuncta deferro & polliceor. Colophonem huic commemorationi *ευχαριστιῶν* addat calidum votum Augustini: Spes humani generis,

generis, Christe, gubernam navem scholæ hujus & harum Ecclesiarum,,
dextrâ tuâ, ne pereamus in fluctibus. Nos in mari turbulento ver-,,
samur, tu in littore stans aspicias pericula nostra, salva nos propter no-,,
men tuum. Da nobis, Domine, inter Scyllam & Charybdin ita,,
tendere per medium, ut utroque vitato periculo, salvi,,
perveniamus ad portum salutis, Amen.

D I X I.



SEQUUNTUR GRATULATORIA

CARMINA, SERIUSCULE
oblata, ideoq; cum alijs non ex-
cusa, sed hîc suffixa.

Cum sint Legitimo quævis confecta tenore,
Ac in Leucoreâ consolidata Scholâ.
Integer, Incolumis, decoratus honore supremo,
Pastor, & Antistes, sospite Sorte, redit.
Nominis qui pleno, DOCTOR LAVRENTIVS audit
ANDREÆ: Patriæ cui dedit HALLA locum.
Clarus &, ob SOCERVUM! qualis Celeberrimus olim
MTLIVS, ad Solis notus utramq; domum.
Sed quæ Præpositum commendant Dona, vel Artes,
Omnibus, ANDREÆ, quàm cumulatus adest?
Moribus Antiquis, pura Pietatis & æstu,
Doctrinæ variæ pondere, Vig; potens!
Absq; tumore Gravis, Vultuq; Serenus, & Ore
Suavis, ad Officij quodq; paratus onus.
Miremur Dotes tantas, imitemur, amemus,
Et charum hoc Nobis sit maneatq; Caput.

F 2

Id

Hos inter numerat quoque te meliore lapillo
LAURENTI, mactatque caput DOCTORIS honore
Hoc VViteberga die. FAVSTVM FELIX q̄; sit opto.
Qui benè te novit, titulo te iudicat omni
Jure novo dignum, nunc arma capesse Jehovæ,
Calcem calce premens, hostem prosterne, trophæa
Erige. ne dubita: nullis victoria nodis
Hærebit, fortuna tuis famulabitur ausis.

*Amico & fratri suo in Christo
dilecto & honorando,*

*M. Abraham Gensseffius: P. L.,
Past. & Superintend. Friberg.*



BICINIUM GRATULATORIUM
duorum fratrum.

LEVCORIS urbs inter tantum caput extulit urbes,
Quantum quiq̄; solent inter declivia montes.
Aurea purpureis hanc pridem fama quadrigis
Vexit ad astriferi pepil rutilantia texta,
Quam ter-ternæ illi, Parnasia Numina, Muse,
Doctrina eximia, pietatis opesq̄; parârunt.
Sedibus Albiacis clarissima pompa Virorum,
Ceu de Trojugenium quondam progressa caballo est:
Hic sacras liquidâ res texens voce Lutherus
Relligionis opus, divino percitus oestro,
Primitus expediens sanctissima scita polivit.
Non minus informans hic emollita juventa
Artibus & linguis, cate corda Philippe, disertis
Provecti sacrata, pio moderante Luthero,
Regna Dei, scriptis, simul ac sermone docendo.

F 3

Quod

Quò feror? immensi res est memorare laboris,
Omne bonum, quod Leucoreâ profluxit ab urbe.
Cur exempla petam longè, atq; ex ordine centum
Majorum referam, quorum stat gloria vivax?
Ad propiora vocor: Tu Thejologi Ordinis Atlas,
Et Dux, LAVRENTI ANDREA, bona vera sequentium
Hic olim Sophiâ sitientia corda rigâsti,
Fraudis & autores doctrinæ luce refellens,
Plena Theatrali simulacra favore tulisti.
Hic decus accessit quondam Tibi grande Magistri,
Hic Te Theologia Reverenda LICENTIA sacra
Evexit celsè ad suprema sedilia, & altis
Quæsitum meritis fastum pro jure locavit:
Magnificus modò sancitur de more Triumphus,
Divite quem pompâ decorant, solenniter atq;
Per vicos, per templa, domos hinc inde celebrant.
Nam Tibi Leucorisis Doctrina, clara brabea,
Purpuream Mitram confert, summoq; reponit
In solio, ac splendore gravi Te vestit & ornat,
Nominis & famâ terrarum climata replet.
Ensifer hinc Saxo, hinc Leucoridosq; Lyceum
De Te permultum sperant, ac gaudia carpunt:
Hinc Genus & Patriam percellunt júbila tanta,
Quanta per innumeros durabunt ipsa nepotes,
Isthinc Castalidum manant de vultibus amnes
Letitia ac titulos gratanti carmine signant.
Quæris, quid de Te, dia Fortissime PRINCEPS
Militia, Cycnea intus sub corde volutet?
Nonnè fremit letâ facie, titulosq; Novellos
Congratatur, & indè Tibi sic farier insit?
Næ Tu, LAVRENTI, Sophiæ cælestis Asylum,
DOCTORIS merito meruisti insignia jure,
Naturâ & curâ, virtute atque indole divâ,
Et sumtu, & pretio, sudore, labore diurno,

Noctur-

Nocturnoq; Tibi diuendita GLORIA DOCTI.
Hic tanti Tituli, tanti sit finis Honoris,
Nempè ô Tu nostras vigili moderamine flecte,
ANTISTES, Ecclesiolas, Flatusq; IEHOVÆ
Preditus enuclea cœlisflua dogmata CHRISTI,
Ignaras duc in Fidei vestigia mentes,
Atq; secare doce, nodos & solvere cœcos
Papæ, qui Verbi confingit sensa sinistra,
Organa profliga Satana, mundi; nefanda
Crimina castiga, reprobos ad Tartara trudens;
Immunes autem sceleris mentemq; manumq;
In cœli perduc sedes, vitamq; beatam.

Gaudia justa trahis, Cynéa, atq; optima vota
Huic fers THEOLOGO, nitido qui mactus honore
Ingreditur DOCTORIS. ISEN Tibi missus ab alto est,
Hunc venerare, time, gratis ac auribus hauri
Verba Dei, mirâ quæ dexteritate profundit,
Illius atq; fidem vitamq; imitare probatam,
Vt tandem capias aternæ præmia vite,
Intuituq; Dei per secula cuncta fruaris.

Eia age, parva Camœna, hilares nunc indue vultus,
Et pia vota vove Titulo DOCTORIS adaucto.
Ipse favore suo nam te complexus abunde est,
Auxilioq; tuum studium fulcivit & auxit,
Quid multis? tuus est Mecœnas atq; Patronus,
Par erit Hunc semper toto te corde vereri,
Hunc studijs cultuq; tuore verenter habebis,
Hunc in mente feres, Huic multum deditus esto,
Grataq; pro meritis devoto carmina plectro
Concinnabis, Huic & prospera cuncta vovebis.

Accipias igitur nivei mea, Nobile Sidus
Et Fax Theulogica. Pompe, Antistesq; verende,
Vota animi, simul ac gratantia carmina, queso,
Pro DOCTORALI MITRA composita capeffas,

Hic

Hic Tibi proſit Honos, proſit Patriæq; Tuiſq;
Inq; Dei laudes, ejus quoq; vergat honorem,
Hujus percipiat multos Eccleſia fructus,
Hic Patris Aetherij ſanctiſſima ſigna ſequuti,
Grata ſalutifera pandat compendia vitæ,
Compluresq; pios radiantibus inferat aſtris.
Me neq; detineo ſocium illud jungere votum,
Proq; ſalute Tuâ, fortunataq; ſenectâ,
Vive diu, ſeniumq; tuum, Celeberrime Doct̃or,
Profer ad immenſum Pylj vel Neſtoris augmen,
Conjuge cum carâ, & lecti cum prole jugalis.
Confirmet tot vota Deus, faxitq; benignus,
Irrita ne fiant ex imo corde profecta,
Atq; meam potius mentem, commiſſaq; vota,
Carmina quam Cyrrhâ procul & Permeſſide lymphâ
Nata favente, rogo ſupplex, aſſumite dextrâ.

M. Theodorus Illingius, Cygnoco-
Miſn. Al. El. & S. S. Theol.
Stud.



O puer felix, penetrans Lyceum
Quo vigent artes, pietasque floret,
Qui ſuis illic ſtudijs novellis
Inſidet annis!
Quod perit, tempus, tacitè libellis
Conterit, noctuq; diuque ſcripta
Quærit evolvitq; manu Sophorum
Impiger acri.
Hinc jubent gnatos Clariam Parentes
Ad Scholam tranſire, magis magisq;

Ut

Ut bonis crescant, animum pijsq;
Moribus ornent.

Non ut exsiccent, madidaque fauce
Cantharos vastent, socientur illis
Queis fides & pax & honor pudorq;
Nullius auræ est.

Scilicet Phœbus minimè brabeia
Segnitet versantibus in labore,
Vendit & donat, nec honore maçtat
Diva Themista.

Otium clari fugiunt labores,
Nobiles ducit labor ad Triumphos,
Sudor insignes iter ad honores
Monstrat apertum.

Monstrat hoc Verbi Speculum salubris,
Monstrat ANDREAS Decus ipse magnum,
Quem statim movit juvenilis ardor
Scandere ad astra.

Non timens æstus, nimumque frigus,
Advolat præclara theatra Athenûm,
Excolit mentem studijs, colitque
Sacra labore.

Hinc Scholæ cultum Albiacæ Lyceum
Cujus ad terras honor ivit omnes,
Digna circundat nitidâ Tiarâ
Tempora docti.

Pòst Corônato Sophicus Senatus
Leucoris doctâ aspiciente turbâ
Addit insignes alios honores
Theiologiæ.

G

Insu-

Clarus ut victor redeat Parentis
Ad domum, plausus populiq; posfit
Promereri, fecit ut Ipse praesens
Mystra verendus.

Laude qui nomen titulumque clarum,
Quem labor summus meruit, reportat,
Doctor ut Clarus redeat, virumq;
Permeet ora.

Ergò LAURENTI, Reverenda Pompa
Ordinis sacri, superique Stella
Numinis, cum Te VViteberga tanto
Donat honore:

Ista solennis mihi sanctiorque
Est dies, paucisque vovere par est
Versibus, quos ipsa Thalia quivit
Fingere parva.

Lator hinc gratorque novis Trophæis
Alma quæ reddit Tibi pro labore
Leucoris, felix, precor atque, possis
Utier illis.

Biblijs posthac hominum sacratis
Subleva mentes nimium paventes,
Acribus verbis Reprobos flagellans,
Ut resipiscant.

Hæresi Papæ solidis resiste
Fontibus verbi, reprobata temne,
Comproba verum, Cathedramq; Doctor
Optimus orna.

Sic precor surgas, Tua quò perennis
Fama per terras volitet remotas,
Subditus quivisq; canat per omne
Nomina tempus.
Floras,

Floreas, salvus vigeasque, Musis
Eugè Promotor maneat benignus
Languidis, opto : rata fac JHOVA,
Quæ lito, vota.

Jacobus Illingius Cycneo-
Misni. Arti. & Phil.
Baccal.

F I N I S.



AB: 101960


ULB Halle
005 374 510


3



VD 77







6.

ORATIO DE UNICO CAPITE EC- CLESIAE CHRISTO:

In promotione Doctoris Theologiae,
Dn. LAURENTII ANDREAE Pastoris &
Superintendentis Zvvicaviensis,
*Habita Witteberga in templo arcis d. 16. Octobr. qui in Fastis
Julianis S. Gallo sacer est, anno Christi 1627.*

à
JACOBO MARTINI S.S.
Theologiae Doctore & Professore publico.
Accesserunt reliqua, ad actum hunc pertinentia.



WITTEBERGÆ,
Excusa Typis JOHANNIS HAKEN.

ANNO MDCCXXVII.

